

Bot
Lous,
\$2.75 Allioni

Auctarium ad Floram
pedemontanam

1789

Fl.
45
ad 5
a



HARVARD UNIVERSITY

LIBRARY

OF THE

GRAY HERBARIUM

Received Oct. 20, 1938
Bought

15. *Auctarium ad floram pedemontanam cum notis et emendationibus.*
Torino 1789. Qu.

Publ.: Jan-Mar 1789.


Ref.: NI 18, PR 108, ST p. 55, IDC 5533.

- from Stafleu 1787



Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
BHL-SIL-FEDLINK

<https://archive.org/details/auctariumadflora00alli>





AUCTARIUM
A D
FLORAM
PEDEMONTANAM
CUM NOTIS ET EMENDATIONIBUS

AUCTORE
CAROLO ALLONIO

IN ARCH. TAUR. PROF. BOT. EM., HORT. PUBL., ET MUS. RER.
NAT. DIR. PRIM. R. SCIENT. TAUR. ACAD. SOCIO, ET THESAUR.
PERP., NECNON ACAD. BONON, LUGD., MADRIT., ET PATAV.,
SOCIET. BASIL., BEROL. NAT. CUR., PHYSICO-BOT. FLOR.,
GOTT., LOND., LUND., PATRIOT. MEDIOL., MONSP., R. MEDIC.
PARIS., UPSALL., ETC. SOCIO



AUGUSTÆ TAURINORUM
EXCUDEBAT JOANNES MICHAEL BRIOLUS
RR. SC. ACAD. ET SOC. AGR. IMP. ET BIB.
MD CCLXXXIX.

MEMORANDUM

TO :

FROM :

SUBJECT :

DATE :

TIME :

FR

45

AL5a

LECTORI BENEVOLO

Edita Flora Pedemontana numquam equidem intermisi eadem illa diligentia, qua ex meo vetere instituto conatus usque sum patriae stirpes dignoscere, omnem pariter curam pro virium mearum ratione eo conferre, ut, & nondum cognitae innotescerent, & cognitarum natalia loca aut diffusius possent, aut accuratius defini-ri. Factum inde est, ut paucorum annorum spatio ea collecta cognitionum supellex fuerit, quae haud indigna videri posset, ut peculiari opusculo concluderetur. Hujusmodi autem opusculum quodcumque illud sit quod ego meae Florae Auctarium appello, tibi lubens, Lector benevole, offero, fore confidens, ut expressam in eo tibi satisfaciendi cupiditatem perspicias. Hoc non modo alias nostrates novasque plantas continet, & aliquot accuratiores locorum natalium designationes, sed illas etiam illustrationes, ac emendationes, quae mihi, subtiliori judicio omnia perpendenti faciendae visae fuerunt. Eae stirpes, quas propono, omnes meis oculis subjectae fuerunt, atque a me descriptae, sed in minimis pervidendis

& observandis, cum meis oculis non semper satis fiderem, quotiescumque opus fuit, adjutricem operam praestitit *Ignatius MOLINERI*, cujus peritiam, atque diligentiam in stirpibus conquirendis & observandis commendatam volo. Quamvis autem hoc additamentum satis per se conspicuum mihi quidem videatur, quod nempe centum & amplius stirpes cum non paucis prorsus novis contineat, non tamen dubito, quin olim aliorum investigatione & labore, industriaque nondum recensitae plantae in communem usum proferantur. Ad me autem quod attinet id unum a te peto, amice Lector, dum novos hosce conatus etiam atque etiam tibi commendo, ut si quid in eis reperias, quod emendandum censeas (reperies autem fortasse multa) seni homini parum firma valetudine utenti, & cui propter summam visus imbecillitatem non licet pro voluntate libros evolvere, benignus indulgeas.

1

A U C T A R I U M
A D
F L O R A M P E D E M O N T A N A M

- 3.* **V**ALERIANA cornucopiae. L.
ICON. TAUR. Vol. I. tab. 50.
Valeriana floribus diandris ringentibus, foliis ovatis sessilibus.
MURR. syst. veg. pag. 79.
Valeriana indica. CLUS. hist. II. pag. 54.
Loc. Nascitur in Comitatu Nicaeensi.
- 18.* **G**ALIUM trichophyllum. N.
Galium caulibus tetragonis erectis ramosis, foliis octonis laevibus subulatis.
Galium Jussiei. VILL. Fl. Delph. II. p. 323. n. 11. ?
Galium megalospermum. Ejusdem n. 8. ?
Galium tenue. Ejusdem n. 10. ?
Loc. Provenit locis saxosis, & apricis siccis supra *Terminon* secus torrentes.
DESCR. Ex radice repente & fibrosa perenni assurgunt cauliculi plures erecti, ramosi, ad quatuor aut quinque pollices Parisienses in loco natali. Folia sunt a sex ad novem, saepius octona, stellae in modum patentia, non vere rigida, glaberrima, virentia, lucida, in ambitu vix ullam habentia asperitudinem; supra gibbosula, subtus plana, ora non revoluta, spinula terminata; omnia aequalia. In ramis sena esse solent. Summi caules & rami bis aut ter dichotomi sunt; demum quadriflori, aut quinqueflori, pedunculo uno unifloro, duobus bifloris. Flores plani, albi, segmentis acutis non aristatis. Semina glabra, pro plantae modulo magna, primum sordide albescentia, matura obscura & subnigra.

Non licet statuere quatenam sit species VILLARSII; allatae affines sunt. *Megalospermum* hujus Cl. Auctoris certe non est nostrum *Fl. Pedem. n. 35.*

21. Hoc est *GALIUM rigidum*. VILL. *Fl. Delph. II. n. 3. p. 319.* *Corrudefolium* autem ejusdem Auctoris *n. 4.* referatur ad *GALIUM tenuifolium n. 25.*

24. Suspicio *GALIUM pusillum* VILL. *Fl. Delph. II. n. 13.* pertinere ad *GALIUM Boccone n. 24.* *GALIUM obliquum* VILL. *n. 9.* alia planta est a *GALIO Boccone*, ad quod etiam referrem *GALIUM montanum* VILL. *n. 6.*

28. Hoc esse puto *GALIUM laevigatum* VILL. *Fl. Delph. II. n. 16.*

28.* *GALIUM austriacum* JACQ. *Fl. Austr. tab. 80.*

Galium argenteum caulibus glabris filiformibus erectis: foliis senis linearibus, ramulis erectis trifloris aphyllis VILL. *Fl. Delph. II. p. 318.*

Loc. In pratis humidis submontanis.

31. *Locis arenosis montanis, atque in sylvis castanearum minime rarum esse affirmat Ignatius MOLINERI.*

32.* *GALIUM pedemontanum. N.*

Galium foliis quaternis ovalibus, radice annua, pedunculis nudis brevibus paucifloris.

Valantia pedemontana BELL.

Loc. Primus vidit Cl. BELLARDI speciem hanc distinguendam esse a GALIO cruciata, eamque accurate descripsit (Osservazioni botaniche. Torino 1788. in 8. pag. 61.); reperit autem primum ad sepes prope lacum di Moncrivello, in vineis di Borgomasino, locis sterilibus prope lacus Eporediae, & in monte di Cavour. Ignatius deinde MOLINERI loco dicto il Paramale prope Augustam Taurinorum, aliisque locis declivibus secus Padum non infrequentem esse observavit.

Obs. Proximum est GALIO cruciata. Folia sunt minora, non

exquisite aequalia duobus modice angustioribus; mollia utique, sed in ambitu parum aspera. Caules sunt minus asperi, pedunculi ad summum sunt quadriflori, atque foliis breviores.

56. *OBS.* *SALVIA clandestina* distincta planta est a *SALVIA verbenaca*. Hujusce flores adeo interdum parvi, ut intra calycem fere abscondantur: sed ex ejus seminibus nata planta flores protulit omnino *verbenacae*. *Clandestina* differt *foliis pin-nato-dentatis, asperis, rugosissimis, spica obtusa*.

94.* *SIDERITIS montana*. L.

ICON. TAUR. Vol. XI. tab. 12.

Sideritis herbacea ebracteata, calycibus corolla majoribus spinosis: labio superiore trifido. LINN. *syst.* 12. p. 391.

JACQ. Fl. Austr. tab. 404.

Sideritis montana, parvo flore nigro-purpureo, capite medio croceo. COL. *ecphr.* I. p. 198. t. 196.

Loc. In agris avenae, & speciatim prope *Dagonney*.

OBS. Quae apud nos nascitur, florem habet minorem, exquisite flavum, neque linea nigro-purpurea circumdatum.

101. Passim in *Tarantasia* praesertim inter *Moutiers, & Notre Dame de Belleville, & circa S. Pierre d' Albigny*.

112. Hujusce *STACHYDIS* semina in Horto Regio Taurinensi sata dederunt plantam altiorem, longe minus hirtam, foliis amplioribus donatam, floresque habentem dilutiores, talem uno verbo, quae *STACHYDEM alpinam* maxime referret. Ea propter valde dubito, num tanta diversitas pendeat a diversa loci conditione.

126. Omnino persuadeor *PRUNELLAM hyssopifoliam vulgaris* varietatem esse, cum in horto culta adeo degeneraverit, ut a *vulgari* distingui non queat.

134. Haec est *NEPETA graveolens* VILL. *Fl. Delph. II. p. 366.* Alia planta est *NEPETA italica* LINN.

- 4
164. Frequens etiam est, observante *Ignatio MOLINERI*, ubique secus arva, & ad vias, & secus muros in vallibus *di Vaudier*, *Limone*, & *Entraque*.
- 170.* **CYNOGLOSSUM** (*creticum*) *foliis incanis, obtusis, obliquis, corollis striatis*. *VILL. Fl. Delph. II. p. 457.*
Cynoglossum folio molli incano flore caeruleo striis rubris variegato. *MORIS. Bles. VAILL. Paris. 44.*
Loc. Non infrequens est locis collinis calidioribus.
Obs. *VILLARS* suspicatur varietatem esse *CYNOGLOSSI officinalis*. Ambigit inter *officinale*, & *cheirifolium*: cultura definiet num varietas, aut distincta species sit.
189. Quamvis magnitudine florum, & caulis simplicitate distincta species videatur, erit fortasse tamen habenda pro varietate *palustris*, cum successivo gradu, pro ut ex alpinis ad montes descendit, in *palustrem* abeat, atque in summis etiam alpinis occurrat eadem planta humilis quidem, sed ramosa, minus villosa, & minoribus floribus donata. Adnotavi etiam *arvensis* in agris humidis nascentem ad *palustrem* accedere, ita ut dicendum sit non male a summo viro *Carolo LINNÆO* in unam speciem eas fuisse conjunctas.
221. In pratis spongiosis montanis & submontanis, locisque sylvosis subhumidis non infrequens.
222. Circa *Salanche* reperta est.
225. Etiam provenit in monte *S. Bernardi*.
227. Haec est *PEDICULARIS rosea* *JACQ. Misc. II. p. 57.*
229. Adjiciantur sequentia synonyma.
Pedicularis caule simplici, floribus spicatis, rostratis, calycibus glabris. *HALL. hist. I. n. 323.*
Alectorolophos montana, flore albo. *BARREL. Icon. 469?*
Alectorolophos alpina. *CLUS. hist. II. p. 210.*
Pedicularis bulbosa. *BAUH. hist. III. p. 438.*

231. Legatur *PEDICULARIS* gyroflexa VILL. deleta *tuberosa*.
Pedicularis foliis bipinnatis, foliolis subdentatis, crispis, & obtusis, floribus sinistrorsum gyratis, capitato aduncis. VILL. *Fl. Delph. II. p. 426.*
Pedicularis. HALL. *hist. tab. X.*
Pedicularis cauli simplici, foliis pinnatis; pinnulis obtuse dentatis, galea rostrata. HALL. *hist. I. n. 324.*
Pedicularis alpina filicis folio minor. TOURN. *inst. 173.*
- 234.* *ANTIRRHINUM* *origanifolium.* L.
Antirrhinum foliis plerisque oppositis oblongis, floribus alternis.
 LINN. *spec. p. 852.*
Antirrhinum saxatile foliis serpilli. BAUH. *pin. 212. prodr. 106.*
Antirrhinum saxatile villosum, origani folio glutinoso. BARREL. *ic. 598.*
Loc. Inhabitat rupes meridiem spectantes supra *Tenda*, & *l' Escarena*.
265. Ex alpebus *d'Exilles* allata nobis est *VERONICA* (*Tournefortii*)
caule repente, spicis erectis, foliis hirsutis. VILL. *Fl. Delph. II. p. 9.*, quam habeo pro varietate *VERONICÆ pyrenaicae*.
276. *VERONICA teucrium* B. pertinet ad *VERONICAM prostratam*, atque frequens occurrit in pratis inter *la Molinetta*, & *Moncalieri*.
283. *VERONICÆ verna*e varietas est, quae locis aridis montanis succulenta evasit. Folia floralia quaedam etiam dentata sunt.
- 285.* *VERONICA praecox.* N. *tab. I. f. I.* A. flos antèrius visus, B. calyx, C. flos postèrius visus, D. stamina, E. embrio, F. fructus, sive capsula.
Veronica floribus solitariis, foliis cordatis profunde dentatis, pedunculis longitudine calycis, fructibus oblongis.
Loc. Mense martio floret in agris circa *Augustam Taurinorum.* *ANNUA.*
DESCR. Haec proxima est *VERONICÆ arvensi*, sed alia omnino planta est. Similiter ut in *arvensi* ad radicem multicaulis est caulibus erectis, interdum simplicibus, saepius ramosis ramo uno alterove. Planta tota succulenta est, paul-

lo major, hirsutior, praesertim in caulibus. Folia ampliora sunt, profundis, & numerosioribus dentibus incisa; potius cordata, quam ovata. Folia floralia quadridentata primum sunt, postrema bidentata. Pedunculis floris calycis est longitudine. Flos intense caeruleus striis obscuris, qui minor est in *arvensi*, & dilute caeruleus. Corolla patens calyci aequalis. Fructus oblongus ovatus calycis longitudine; in *arvensi* autem fructus transversim latus est cordatus, atque calyce multo brevior. In *arvensi* fructus vix petiolati, atque approximati spicam velut exhibent, in nostra autem dissiti sunt, atque distant longitudine pedunculorum.

288. Observatum etiam est eam crescere secus agros avenae in agro *Taurinensi* prope *la Molinetta*, *il Gerbo*, & *S. Rocchetto*, uti etiam in collibus *Taurinensibus*, & prope *Grugliasco*, *Rivalta*, &c.

306. Inhabitat etiam loca subhumida prope Eremum *Taurinensium*, & pascua prope *Volpiano*.

314.* IRIS sibirica. L.

Iris imberbis foliis linearibus, scapo subtrifloro, tereti, geminibus trigonis. THUNB. *ir. n. 33.*

Iris, corollis imberbibus, geminibus trigonis, caule tereti, foliis linearibus. LINN. *spec. p. 57.* JACQ. *Fl. Austr. tab. 3.*

Iris foliis linearibus, caule subnudo, petalis reflexis imberbibus venosis, tubarum arcu acuminato. HALL. *hist. II. n. 1259.*

Iris pratensis angustifolia non foetida altior. BAUH. *pin. 32.*

Loc. Ad rivulos in sylvis della Veneria.

325. Magna copia etiam provenit in arvis circa *Exilles*.

338.* PRIMULA glutinosa. N.

Primula (viscosa) foliis serratis glutinosis, calycum laciniis capsula longioribus. VILL. *Fl. Delph. II. p. 467.*

Loc. E rupium fissuris locis umbrosis, quae pluvia non aluit, neque sol percellit, circa la Madonna delle finestre.

Obs. Quum viscosae nomen triviale alteri PRIMULAE dederim,

glutinosam hanc appello a forti glutine, quo folia sunt oblita. Bona est VILLARSII descriptio, atque cum hoc *Cl.* Viro puto a Botanicis non visam fuisse, neque reperio inter eas multas, quae *Cl.* JACQUIN descripsit, & enumerat in *Misc. Austr.*

353. Nomen HALLERI pertinet ad *campestrum*.

354. Nomen HALLERI huic plantae tributum pertinet ad *amarellam*.

360. GENTIANA *nana* JACQ. *Misc. I. p. 161. tab. 18. f. 3.* collatis multis speciminibus GENTIANÆ *nivalis* LINN. eodem loco collectis, video *nanam* JACQ. non esse distinguendam a GENTIANA *nivali* LINN. Ea vero, quam volui GENTIANÆ *nanae* nomine indicare, omnino videtur SWERTIA *carinthiaca* JACQ. *Misc. II. p. 53. tab. 6.* licet nostra planta minor sit, neque calyce & flore adeo expansis, ac icone JACQUINI exhibetur. Numerosi cauliculi, sive scapi constanter uniflori in hac planta sunt, plerumque nudi; interdum ad basim habent unum par foliorum. Calyx est ad basim usque sectus segmentis quatuor aut quinque primum erectis, dein patentibus. Flos intus ex caeruleo viret, & setulae nectari albae sunt. *ANNUA* est.

Nominis trivialis delectum Botanicis relinquo, atque erit, ut iisdem placebit, aut GENTIANA *nana*, aut *carinthiaca*. Synonima autem hujus numeri 360. pertinent ad GENTIANAM *nanam* JACQ.

363.* GENTIANA ramosissima VILL.

Gentiana caule ramoso: foliis acutis enerviis laevibus. VILL. *Fl. Delph. II. p. 530.*

Gentiana corollis quinquefidis infundibuliformibus, caule brevissimoque ramosissimo. GER. *gallo-prov. p. 311.*

Centaurium minus palustre ramosissimum flore purpureo. VAILL. *Bot. p. 32. t. 6. f. 1.*

Loc. In pascuis inundatis.

Obs. Celeberrimus LINNÆUS pro varietate habet GENTIANÆ n. 363. *Cl.* VILLARS tamquam distinctam speciem propo-

nit. Suspiciari licet hanc diversitatem pendere ex diverso tempore vegetationis, quae autumnali tempore est.

382.* VERBASCUM Chaixi. VILL.

Verbascum foliis viridibus cordatis petiolatis, basi lyratis, caule ramoso. VILL. *Fl. Delph. II.* p. 491.

Verbascum III. MATTH. C. B. 800.

Loc. Etiam apud nos occurrit, nasciturque locis montanis saxosis apricis; sed valde proximum nigro nobis videtur.

396. Ad CAMPANULAM caespitosam spectat, atque ejus insignis varietas est.

400. Videtur varietas CAMPANULÆ rotundifoliae.

406. Haec CAMPANULA videtur omnino pertinere ad latifoliam LINNÆI.

407. Maxime frequens etiam est in pinguibus pratis di Casotto, & di Pesio.

416. Nascitur etiam prope Miolans.

428.* PHYTEUMA charmelii. VILL.

Phyteuma foliis radicalibus cordatis subdentatis, caulinis, linearibus integerrimis. VILL. *Fl. Delph. II.* p. 516.

Rapunculus corniculatus montanus. COL. *ecphr. I.* 224.

Loc. Prope Entraque in regione dicta la Lausa.

439. Deleatur botryoides, atque ejus loco legatur racemosus cum sequentibus synonymis.

Hyacinthus corollis ovatis, summis sessilibus, foliis laxis. LINN. *spec.* p. 455.

Hyacinthus foliis carinatis, spica ovata, floribus globosis. HALL. *hist. II.* n. 1245.

Muscari arvense, juncifolium, caeruleum, minus. TOURN. *inst.* p. 348.

Hyacinthus racemosus, caeruleus, minor, latifolius. BAUH. *pin.* 43.

Hyacinthus vernus, botryoides, minor, caeruleus, angustioribus foliis, odoratus. BAUH. *hist.* II. p. 571.

Hyacinthus comosus minor, bulbine Plinii. LUGD. 1511.

Hyacinthus racemosus. DOD. *pempt.* 217.

VERN. uti l. cit.

485. Etiam provenit, legente Ignatio MOLINERI, in rupibus meridiem spectantibus supra *Tenda*.

485.* THYMELÆA dioica.

Daphne floribus axillaribus geminis, foliis lineari-lanceolatis. LINN. *suppl.* p. 223.

Daphne dioica. GOU. *ill.* p. 27. *tab.* 17. *f.* 1.

Loc. Supra *Tenda* in rupibus meridianum solem spectantibus.

508.* SCABIOSA hybrida. N.

ICON. TAUR. Vol. XXIII. *tab.* 40.

Scabiosa corollulis quadrifidis radiantibus, foliis inferioribus pinnatis, pinnulis obtusis dentatis; rameis integris.

Loc. In arvis & pascuis agri *Sospitellensis*.

DESCR. Radix annua recta teres fibras hinc inde praebens.

Caules de more gentis brachiati, sesquipedales & bipedales. Folia radicalia, & prima caulina pinnata; pinnulae ovatae obtuse dentatae, quae eundo majores evadunt, extrema reliquis majore & ovata acuminata; referuntque folia SCABIOSÆ columbariae. Quae sequuntur caulina parcius & acutius pinnata sunt. Folia ad ramos primarios & secundarios elliptico-lanceolata, aut lanciolata, integerrima; aliquibus interdum ad basim uno alterove latere veluti pinnatifida. Caules & rami teretes asperiusculi, folia etiam asperiuscula sunt. Rami in pedunculos nudos floriferos evadunt. Flos SCABIOSÆ arvensis, sed pallide roseus. Calyx ex decem foliolis, sed longius productis, flori aequalis. Semina utrinque complanata, non tetragona hirsuta cum corona minutim denticulata, habente impositam stellam quinque aristarum. In SCABIOSA arvensi semina subtetragona cum corona profundius & parcius dentata.

Cum haec arvensis, & columbariae immaginem veluti conjungat, idcirco hybridam diximus. B

537. Frequentissimus est in valle *di Tigne*. Tabula vero 35. huic numero assignata exhibet revera varietatem *CIRSII rivularis*.
543. Excludatur synonymum *SCOPOLI*, legaturque *CIRSIIUM rivulare*. *Carduus foliis inferne pinnatifidis in lacinias oblongas, superne integris & serratis inermi-spinulosis sessilibus, caule inermi, floribus capitatis*. *JACQ. Fl. Austr. tab. 91.*
Loc. Sat frequens in alpebus ad rivulos pratorum, & fluentes aquas.
548. Habendum non est pro nova specie, sed singularis & monstruosa varietas est *CARDUI rivularis*. *JACQ. Fl. Austr. tab. 91.*
549. Deleatur *CIRSIIUM pyrenaicum*, quod ad aliam omnino plantam spectat, atque icon transferatur ad *CIRSIIUM rivulare*.
- 553.* *CIRSIIUM* ambiguum N.
Cirsium foliis non decurrentibus, caulinis inferioribus pinnatifidis petiolatis, reliquis amplexicaulibus, subtus tomentosus, ciliato-spinosis, floribus sessilibus terminalibus.
Loc. In monte *Cenisio*.
DESCR. Perennis est: folia prima radicalia non pinnatifida, sed integra dentata. Prima caulina petiolata, & quae sequuntur semi-amplexicaulia auriculis rotundatis, pinnatifida sunt pinnis bilobis lobo inferiore minore, suprema folia potius tantum dentata non pinnatifida, sed ultimum folium lineare neque dentatum, sed spinulis ciliatum. Omnia sunt mollibus pinnulis ciliata, supra glabra, & virentia, subtus tomentosa, ora non contracta, aut revoluta; caulis striato-angulosus ruber erectus, firmus unius pedis cum semisse altitudine. Flores sessiles a duobus ad quatuor congesti. Calyx glaber ex squamis acutis inermibus apice reflexis, flores purpurei tubae summitate leviter incisa. Pappus plumosus. Summus caulis evidenter subtomentosus. Medium locum tenet inter *CIRSIIUM rivulare* & *helenioides*.
558. Singularem varietatem retulit *Ignatius MOLINERI*, quae habet

caulem foliosum, & multiflorum floribus terminalibus, & axillaribus.

575.* *CENTAUREA pectinata*. L.

Centaurea calycibus erecto-plumosis, foliis lyratis denticulatis; ramis lanceolatis integerrimis. LINN. spec. p. 1287. GOV. ill. p. 72.

Jacea montana incana aspera, capitulis hispidis. BAUH. pin. 272. prodr. 128.

Jacea cum squamis pinnatis s. capite villosa, elatior & humilior. BAUH. hist. III. p. 29.

Loc. In valle di Tigne & di Lanzo e rupium fixuris. PERENNIS.

OBS. Tanta est cum *CENTAUREA phrygia* similitudo, ut seminum satione, aut juniorum plantarum cultura videndum sit, num mera varietas sit *phrygiae*, quae in pratis uniflora sit, atque inter saxa crescens multiflora evadat.

599. Judicium ferens ex unico sicco exemplari, quod Cl. DANA communicavit, habui hanc *CENTAUREAM* pro nova specie, sed novis acquisitis exemplaribus, declaro unice varietatem esse *CENTAUREAE galactitis*.

605. In collibus saxosis apricis *Liguriae*, & praesertim prope *Ceva* & *Garessio* nascitur.

Abrotanum mas angustifolium incanum. BAUH. pin. 136.

Abrotanum mas maximum. COL. ecphr. I. p. 54.

Puto hoc esse varietatem *ARTEMISIAE abrotanum*, sive *Artemisiam* (camphorata) *foliis palmato-multifidis, linearibus, supremis simplicibus angulosis, receptaculo hirsuto*. VILL. prosp. p. 31., quam Cl. BELLARDI (*Oss. bot. p. 56.*) reperit etiam prope *Roccavion* loco dicto *la Dormiosa*, atque ad Cl. VILLARS misit.

ARTEMISIA santonicum LINN. alia omnino planta est.

619. Neque deest locis aridis, & sabulosis collium *Taurinensium* calidiorum. Abunde prope *Montaldo*, & *Pavarolo*.

644. Varietas C. nunquam apud nos radiatum florem exhibet. TUS-SILAGO *frigida* LINNAEI fortasse alia planta est.

677. Neque deest in proximis jugis *di Lantosca*, & *Madonna delle finestre*.

729.* SENECEO squallidus. L.

Senecio corollis radiantibus calyce longioribus integris, foliis pinnatifidis, laciniis linearibus distantibus. LINN. *spec. p.* 218.

Loc. Colles *Nicaeenses* inhabitat, & frequens est in olivetis, & locis lapidosis, praesertim prope *Suorgio*.

747.* DORONICUM austriacum. JACQ. *Fl. Austr. tab.* 130.

Doronicum septimum, austriacum, tertium. CLUS. *hist.* XIX.

Doronicum maximum, foliis caulem amplexantibus. BAUH. *pin.* 185.

Loc. Locis pinguibus, & humidis secus torrentes in montibus *di Casotto, Pesio, & Frabosa*.

777. Similiter occurrit in pratis editioribus *di Sospello*, & *la Madonna delle finestre*, & in monte *Cenisio*.

779. Hoc numero deleto HIERACIUM hic recensitum est SCORZONERA (eriosperma) *caule basi ramoso villosa multiflora, foliis trunculatis subulatis, seminibus lanatis.* GOU. *ill. p.* 52. Transferatur igitur sub SCORZONERAE genere post numerum 839.

785.* HIERACIUM rupestre. N. *tab. I. f. 2.* A. Semiflosculus, B. Semen cum pappo.

Hieracium foliis ovatis pilosis dentato-laciniatis, caule subuniflora non folioso, calycibus subincanis.

Loc. In montibus *d' Entraive* locis saxosis, & calidis dictis *la Lausa*.

DESCR. Radix obscura, sublignosa, perennis, fibras demittens. Folia ad radicem quinque aut sex, petiolata petiolo plano, nunc ovata, nunc elliptico-lanceolata, subglauca; pilosa pilis in ambitu, & subtus longioribus, & confertioribus: ambitus foliorum sinuato-dentatus, dentibus ma-

gnis inaequalibus distantibus, & veluti aristatis. Caulis uniflorus, striatus, teres, nudus, simplex, semipedalis, aut etiam altior; quandoque bifidus est, ad divisionem foliolo sessili lanceolato instructus, quod glabrum est habens tamen paucos pilos ad originem. Hi rami longissimi sunt, nudi, uniflori. Calyx ex squamis fere unius ordinis virentibus, leviter tomentosus, squamae aliae minores, inaequales ad basim accedunt. Flos luteus calyce major. Semina striata, linearia, nigra: pappus simplex. Proximum est *HIERACIO glauco*, sed differt foliorum forma, atque hirsutiae, quae nulla est in *glauco*, pilos tantum habente in costa, & margine.

793. Neque rarum est supra *la Madonna delle finestre*; nascitur etiam circa *Thermas Valderianas*.

794. Figura 3. Tab. XXIX. pertinet ad *HIERACIUM intybaceum*.

803. Longe minus frequens est in *Pedemontio*, quam in *Sabaudia*.

805.* *CREPIS leontodontoides*. N.

ICON. TAUR. Vol. XIII. tab. 95.

Crepis glabra, foliis runcinatis hastatis, caule subnudo, calycibus cylindricis non reflexis.

Loc. Ad oras sylvarum prope *Mieuje*.

DESCR. Planta biennis, tenera, glaberrima; radix dura sublignosa parum fibrosa. Folia ex radice pauca quatuor, aut quinque ad summum, longe petiolata runcinata, profunde pinnatifida pinnis triangularibus acutis dentatis, sensim majoribus, majorique parte confluentibus, extremum folium sive pinna extrema major reliquis est, hastata, dentata, & acuta. Inter ea folia erigitur caulis teres ab octo ad duodecim uncias parisienses, unum habens foliolum lineare; nunc simplex & uniflorus, nunc bifidus ramo majore iterum interdum bifido, ad ramorum divisiones exigua bractea lanceolata. Rami uniflori nudi: calyx glaber, exterior ex squamis brevibus ovatis acutis subalbicantibus, septem aut octo; interior cylindricus ex unico ordine squamarum

linearium . Calyx non reflectitur; pappus vix calyce altior; flos calyce major. Semina gracilia per longum striata cum pappo simplici. Per culturam habitum multo ramosiorem, majoremque altitudinem nanciscitur.

817.* SONCHUS Plumieri. L.

Sonchus pedunculis nudis, floribus paniculatis, foliis runcinatis.

LINN. spec. p. 1117.

Sonchus, caule glaberrimo, foliis runcinatis glabris, racemo laxo glaberrimo, pedunculis nudis. GOV. ill. p. 54.

Lactuca alpina glabra acanthi folio, flore magno caeruleo. VAILL. in Actis Ac. Sc. Paris. ann. 1721. p. 200.

Loc. Locis editis, & pinguibus supra Carthusiam S. Hugonis in Sabaudia.

823. Constat non modo nasci in valle *Augustae Praetoriae*, sed aliis etiam locis lapidosis subalpinis calidioribus.

828. Frequens est etiam in montibus *di Caselette*, & *Cumiana*.

838. Crescit etiam in pratis supra *Sestrieres*.

853. Revera varietas est superioris.

891. ALYSSUM sativum.

Alyssum foliis sagittatis, siliquis cordiformibus. HALL. hist. 1. n. 489.

Alyssum sativum. SCOP. ed. 2. n. 794.

Myagrimum siliculis obovatis pedunculatis polyspermis. LINN. spec. p. 894.

Camelina (sativa) foliis scabris sagittatis leviter dentatis. CRANTZ. ed. 2. p. 18. fasc. 1.

Thlaspi (camelina) foliis auriculatis dentatis silicula tumente integra polysperma, septo valvis parallelo. CRANTZ. crucif. p. 78. n. 11.

Myagrimum sylvestre. BAUH. pin. 109.

Camelina, s. Myagrimum. DOD. pempt. 532.

Loc. Sponte nascitur in arvis prope *Moutiers* in Sabaudia.

919.* *IBERIS ciliata*. N.

Iberis foliis lingulatis spatulatis, acutis, ciliatis, fructibus corymbosis.

Loc. Inter *la Scarena*, & *Nizza* locis saxosis, & in pascuis ad oras sylvarum.

DESCR. Radix dura ramosa biennis. Plantae altitudo pedalis. Folia crassiuscula, glabra, sessilia, sed ciliata, ea autem ex lineari principio sensim ampliora evadunt, & veluti in spatulam abeunt non obtusam, sed modice acuminatam. Caulis angulatus est duriusculus, & circa medium ramosus, ramis alternis erecto-patulis continuo brevioribus, ita ut rami ipsi corymbum repraesentent: ramorum major pars nuda est inferius foliosa. Flores umbellati constanter albi, petalis inaequalibus magnitudine *IBERIDIS pinnatae*. Siliculae ovatae alatae in apice transversim sectae, non in racemum dispositae, sed in densum corymbum compactae.

920.* *IBERIS nana*. N. *tab. 2. f. 1.* A. flos, B. fructus.

Iberis herbacea, foliis petiolatis subrotundis dentatis, floribus umbellatis.

Loc. In alpibus *della Raschiera Montisregalis*. *ANNUA.*

DESCR. Similis quidem est *LEPIDIO rotundifolio*; certo tamen distincta planta est. Radix teres parum fibrosa annua alba, quae in caulem continuatur trium aut quatuor pollicum. Interdum plures caules ex una radice prodeunt quatuor aut quinque. Hi caules primum declinati, deinde inflexi & suberecti. Folia prima orbiculata, deinde ovata elliptica, aut etiam spatulata; modo integra, modo versus apicem utrinque dentata, dente obtuso. Prima evidentius petiolata, deinde successive breviori, & latiori petiolo in folium continuato minusve distincto instructa sunt. Umbella caulem terminat densa, plana, floribus exterioribus longius pedunculatis, citiusque florentibus; pedunculi sunt praeter propter calycis longitudine. Flos albissimus, sed senescendo purpurascit. Petala inaequalia, leviter in fine truncata: duo minora vix metiuntur medietatem petalorum superiorum. Calyx ex foliolis ovatis in margine albicantibus concavis erectis. Antherae luteae, staminibus duplo calyce al-

tioribus. Umbella fructus ferens in racemum non elongatur. Silicula calyce longior omnino IBERIDIS, acute emarginata, lateribus triangularibus acutis stylo persistente, angulis emarginaturae altiore. Tota planta succulenta & glabra est. In loco natali caules solent esse simplices, sed planta in horto culta ramos dedit.

921.* IBERIS linifolia . L.

Iberis herbacea, foliis linearibus integerrimis, caulinis serratis, caule paniculato, corymbis hemisfericis. LINN. syst. 12. p. 435.

Thlaspi lusitanicum umbellatum, gramineo folio, flore purpurascente. TOURN. inst. 213. GARID. aix. 459. t. 105.

Loc. In arenosis collibus agri *Nicaeensis* versus flumen *le Var*.

925. OBS. IBERIS *cepeaefolia* JACQUIN. Misc. II. tab. I. p. 28. pertinet ad hoc LEPIDEUM. THLASPI BARRILIERI icon. 1305, ad hoc etiam potest referri, sed ex icone nihil certi statui potest.

948. Alpes etiam incolit in valle d' *Ussey*.

953.* CARDAMINE granulosa . N.

Cardamine foliis radicalibus subrotundis integris, caulinis pinnatis. Nasturtium pratense odoratum radice granulata tuberosa. BAUH. pin. 104.

Cardamine quinta. DALECH. Lugd.

Loc. In pratis collium *Taurinensium* detectam obtulit *Ignatius MOLINERI*.

DESCR. Proxima est *CARDAMINES pratensis*, sed pluribus notis evidenter differt. Radix, ubi caulem porrigit, squamoso-granulosa est: dat stolones, atque teretes albissimas fibras, quae in *pratensi* fibrarum capillissio efformatur. Folia omnia radicalia longe petiolata semper simplicia, firmula, instar *COCHLEARIAE* subrotunda, subangulata, saporis *Nasturcini* cum aliqua subaromatica gratia. Caulis simplex non ramosus: folia caulina breviter petiolata petiolo plano,

non vere pinnata , sed profundissime pinnatifida . Folium autem caulinum primum solet habere par unum pinnarum non confluentium cum nervo . In *CARDAMINE pratensi* petala evidentem emarginata , & calyce vix duplo longiora ; in *granulosa* petala sunt elliptico-obverse ovata calyce triplo longiora , candidissima . Flores sunt potius in brevem corimbium dispositi , quam in racemum . Folia radicalia instar *COTYLEDONIS* , & *PORTULACÆ* quarumdam specierum ad initium petioli superius gemmam , inferius radices demittit .

955. In sylvis caeduis subhumidis passim reperitur circa Carthusiam *di Casotto* , & *S. Ugon* in *Sabaudia* .

962. Comparavi accuratius hanc *SINAPIM* cum icone & descriptione *SINAPIS Tournefortii* , quam dedit *Cl. GOUAN* , atque puto nostram differre . Planta *GOUANI* annua dicitur , nostra biennis & ultra est . In icone *GOUANI* folia non sunt usque ad nervum pinnatifida , pinnae sunt frequenter & acute dentatae , flos minor est , atque in descriptione aequiparatur flori *SISYMBRII arenosi* & *viminei* . Nostra *SINAPIS* pinnas habet minus frequentes , atque alterne vix cum nervo confluentes , longe parcius dentatas dentibus longioribus , florem magnum flavum unguibus calyce ipso longioribus , & calycem trium linearum longitudine conniventem duobus foliolis dimidio angustioribus . Altitudo nostrae tripedalis & ultra est .

SINAPIS recurvata n. 963. diversa planta non est , sicuti certiore me fecerunt plura acquisita & collecta exemplaria , quae demonstrarunt siliquas saepius quidem incurvas esse , sed interdum esse recurvatas . Descriptionem igitur datam n. 962. ex viva planta delineatam praeferendam esse volumus .

967.* *BRASSICA* oleracea. L.

Brassica radice caulescente tereti carnosae. LINN. spec. p. 932.

C

Brassica alba vel viridis. BAUH. pin. 3.

Loc. Sponte nascitur inter *Villafranca* & *Monaco* in rupibus mari proximis.

973.* ARABIS aspera. N. tab. 2. f. 2. A. B. Flos, C. Petalum, D. Calyx,
E. Stamina.

*Arabis caule erecto flexuoso ramoso, foliis ovatis asperis semi-
amplexicaulibus, siliquis teretibus.*

Loc. Ad oras sylvarum caeduarum prope *Segusium*, atque supra *Tenda*.

DESCR. Annuæ planta est caule rubente, erecto, ramoso, ramis plerumque simplicibus & duobus. Caules subincani, rotundi, flexuosi; folia ovata, asperiuscula, hirsuta, semiamplexicaulia, breviter & obtuse hamata, in ambitu acute dentata, erecta; rami foliosi, racemus siliquarum caule duplo longior; flores albi calyce parum longiores; lamina, quantum video, ovata; siliquæ teretes, erectæ, incurvæ, glabræ; innixæ pedunculo bilineari firmo. Affinis est *ARABI saxatili*, sed in hac racemus siliquarum brevior est, siliquæ multo longiores, eaque compressæ, striatæ, pauciores, & magis distantes, folia mollia, & potius lanceolata. *ARABIS aspera* etiam annua est, sed præcocior.

974. Crescit frequens in alpibus *di Mondovì*, *di Tenda*, & præsertim in alpibus *la Raschiera* versus *Carlin*; passim occurrit locis saxosis supra *Cesane*.

978.* TURRITIS stricta. N.

Turritis glabra lucens caule simplicissimo erecto, siliquis planis margine attenuatis.

Loc. In pratis, & pascuis subhumidis supra *Casotto*, & *Limone*, & prope thermas *Valderii*.

DESCR. Radix alba, duriuscula, ramosa, & parum fibrosa; caulis simplicissimus, erectus ad duorum pedum circiter altitudinem; folia radicalia, ovata, breviter petiolata, vix dentata, glabra, caulina amplexicaulia sine auriculis erecta,

cauli omnino appressa, similiter glabra, & lucentia, profunde dentata dentibus erectis; caulis rotundus, laevis, firmus, erectus totus foliis alterne positis tectus fere usque ad umbellam; siliquae planae, nervo medio longitudinali divisae, & striatae, lineares fine acuminato, erectae cauli approximatae; in summo caule proximiores, inferiores longius pedunculatae sunt; siliquae pollicis parisiensis & ultra longitudine, margine attenuato; flores albi parvi petalis erectis. Affinis *TURRITIDI hirsutae*.

987.* *CHEIRANTHUS incanus*. L.

Cheiranthus foliis lanceolatis integerrimis obtusis incanis, siliquis apice truncatis compressis, caule suffruticoso. LINN. spec. p. 924.

Leucojum, incano folio, hortense. BAUH. pin. 200.

Viola alba & purpurea. LOB. ic. 329.

Loc. Inhabitat rupes mari proximas prope *Villafranca*, atque spontaneus est.

992.* *CHEIRANTHUS tricuspidatus*. L.

Cheiranthus siliquis apice tridentatis, foliis lyratis. LINN. syst. 12. p. 442.

Leucojum marinum. CAM. hort. 87. t. 24.

Loc. In sabulosis ad maris *Nicaeensis* litus.

998.* *SISYMBRIUM barbareae*. MURR.

Sisymbrium foliis simplicibus spatulato-ovatis dentatis amplexicaulibus nudis. LINN. spec. p. 921. MURR. syst. veg. p. 596.

Loc. In agro *Monregalensi* secus agros, & locis siccis.

1030. Excludatur varietas B, quae distincta, & sequens planta est.

1030.* *EUPHORBIA canescens*. L.

Euphorbia dichotoma foliis integris subrotundis pilosis, floribus solitariis axillaribus, caulibus procumbentibus. LINN. spec. p. 652.

Tithymalus exiguus villosus, nummulariae folio. TOURN. inst. 87.

Chamaesyce villosa major cauliculis viridibus. SCHOL. bot. 122.

1046. In vineis autem *Nicaeensis* frequentissima.

1065. In agro *Pedemontano* non infrequenter occurrit, tum secus agros, cum in pascuis. Vulgaris in Comitatu *Nicaensi*: ibi variat flore albo.

1067. Atque vulgarem affirmat in agris *Monregalensibus*.

1080. } Deleatur *CLEMATIS maritima*, quae est vere *flammula*. Ea,
1081. } quam pro *flammula* habui in agro *Pedemontano* nascentem, varietas est *CLEMATIDIS erectae*.

1086.* *FUMARIA capreolata*. L.

Fumaria pericarpis monospermis racemosis, foliis scandentibus subcirrhosis LINN. spec. p. 985., & MURR. syst. veg. p. 637.

Fumaria viticulis & capreolis plantis vicinis adhaerens. BAUH. pin. 143.

Loc. Inter *la Prea* & *Rastello*, & prope *Ormea* in *Liguria*.

1091. Nascitur praesertim in pascuis, & arvis subhumidis requietis, frequentius ad radices montium *di Piosasco*, *Cumiana*, & *Canapiciensis* Provinciae.

1102.* *TRIFOLIUM hirtum*. N.

Trifolium caule erecto ramoso, capitulis ovatis mollibus terminalibus, segmentis calycis subaequalibus.

Loc. In *Monteferrato* secus agros.

DESCR. Planta annua. Caulis erectus firmulus alterne ramosus. Foliola ovalia striata minutissime denticulata, versus petiolum angustata, & cuneiformia sessilia. Vaginae foliorum magnae striatae longe aristatae. Capitulum ovatum terminale: flos dilute purpureus vexillo stricto supra calycem eminente. Capitulum comitatur folium florale, cujus vagina capitulum amplectens profunde divisa est in bina segmenta cordata lanceolata aristata, verum duo alia foliola inferius demittit. Calycis segmenta sunt subaequalia

longo villo ciliata. Caeterum tota planta molli villo hirta est.

1148* *MEDICAGO* circinnata. L.

Medicago leguminibus reniformibus margine dentatis foliis pinnatis.

Falcata foliis Anthyllidis. RIV. tetr. 201.

Loto affinis siliquis hirsutis circinnatis. BAUH. pin. 333.

Loc. In agro *Villae-francae Nicaeensis* prope mare versus *Momonacum* legit Ignatius MOLINERI.

1159. Admodum frequens est in arvis circa *Sospello*, & *Breglio*.

1166. Haec est *ONONIS* (striata) *caulibus prostratis, foliis ternatis glabris striatis, stipulis ovato-acutis serratis, pedunculis unifloris, calycibus leguminibusque pilosis.* GOV. ill. p. 47.

1169. Synonymum *DALECHAMPII* ad hanc non pertinet, sed ad *ONONIDEM natrix*. Synonymum *TOURNEFORTII* pertinet ad *ONONIDEM variegatam*. Haberi nequit pro varietate *ONONIDIS natrix*: stipulae lanceolatae aequales parvae, foliola ex cuneiformi ovata striata, acutim in universum dentata, in *ONONIDE* autem *natrix* oblonga sunt extremo praesertim denticulata. Arista in hac pedunculorum brevior; siliquae teretes sunt decaspermae. Tota planta villosa & viscosa, humilior & lignosior.

1189. Deleatur *HEDYSARUM spinosissimum*, & ejus loco scribatur *HEDYSARUM* Caput galli. L.

Hedysarum foliis pinnatis, leguminibus monospermis: cristae dentibus subulatis, alis brevissimis, caule diffuso. MURR. syst. veg. p. 676.

Onobrychis fructu echinato, minor. BAUH. pin. 350. prodr. 149.

1189.* *HEDYSARUM* Crista galli. MURR.

Hedysarum foliis pinnatis, leguminibus monospermis aculeatis: cristae laciniis lanceolatis denticulatis. MURR. syst. veg. p. 676.

Onobrychis s. Caput galli minus, fructu maximo insigniter echinato. TRIUMF. obs. 65.

Loc. Ad maris *Nicaeensis* litus in sabulosis.

1198. Abunde quoque locis montanis & alpestribus *di Tenda*, atque montium *del Rifredo*.

1202. Icon hoc numero citata assignetur numero antecedenti 1201.

VICIA lathyroides. LINN. perennis dicitur. Ea, quam JACQ. *Misc. II. p. 299. tab. 18.* descripsit, & omnino convenit cum *VICIA minima* Riv., & *tab. 58. Fl. Dan.* omnino verna, & annua est, & nuper observata est in agro *Taurinensi* locis declivibus secus agros ab *Ignatio MOLINERI*. Caules sunt palmares. Folia inferiora saepe ex duobus paribus foliolorum, quae cordata sunt, & emarginata cum spinula; sed quae sequuntur omnia tria paria foliolorum habent. Sunt autem elliptica per spinulam acuminata nihil emarginata. Tota planta leviter pubescit. Stipulae non dentatae. Cirrhus unicus debilis. Flos purpureo-caeruleus subsessilis solitarius axillaris. Siliqua suberecta glabra utrinque attenuata, primum plana, deinde ad seminum situm modice tumens. Semen hexaedrum. Omnino probabile videtur hanc esse *VICIAM praecocem Parisiensem*, neque *ERVUM soloniense* L.: diversam plantam esse. *VICIAE praecocis* nomine siccatum exemplar misit *Cl. JACQUIN*.

1228. Nuper hanc stirpem legit inter *Termignon* & *Entre les eaux*, in pratis lapidosis *Ignatius MOLINERI*.

1271.* *ASTRAGALUS leontinus.* JACQ.

Astragalus caulescens prostratus, leguminibus ovatis villosis, floribus spicatis erectis. JACQ. *Misc. II. p. 59. t. 37.*

Loc. In monte *Cenisio*, & in valle *Segusina* secus *Duriam*.

1284. Inhabitat etiam prata supra *Termignon*, qua itur ad pagum *Entre les eaux*.

Umbella magna; involucrium universale & parziale polyphyllum; flores aequales, petala integra angusta; semina oblonga gibba crassa ad latus non explanata substantiae crassae fungosae.

1294.* **CACHRYS** Morisoni. N.

Cachrys foliolis linearibus, extremis binis aut ternis; fructibus semiovatis, laevibus, utrinque rotundatis.

Cachrys. MORIS. *umb. t.* 3. *f.* 1.

Loc. Supra Breglio loco dicto Mauriana.

DESCR. Radix crassa, ramosa odore peucedani; ex ea in orbem nascuntur folia versus terram reclinata, pedem parisiensem circiter longa; inter ea surgit caulis firmus, levissime striatus, rotundus, albus etiam partim purpurascens, qui altitudinem pedalem, aut sesquipedalem assequitur. Caulis cito ramosus, ramis oppositis, binis, ternis, aut quaternis cauli similibus. Ad ortum cujuslibet rami ex brevissima vagina striata nascitur folium radicalibus simile. Petiolum teres opposite ramosum porrigit folia decomposita, angusta, linearia, varie subdivisa extremitatibus ita bifidis, aut trifidis, ut lineares acutas pinulas exhibeant. Rami solent iterum esse ramosi ferentes umbellas steriles, sed ramus primarius umbella fertili terminatur: involucrium universale ex duobus, aut tribus foliolis simplicibus, radii a duodecim, ad viginti biunciales, firmi, erecti; umbellularum involucrium simile. Flores umbellulae unum duos aut tres fructus proferunt, plerisque floribus abortientibus. In acutum non abit fructus, nihil omnino costatus. Semina sunt quatuor levissimis sulcis percursa glabra, semiovalia, albida, fungosa, dimidii pollicis parisiensis circiter longitudine.

Ambigit inter FERULAM & CACHRYM. Semine non complanato, & insigniter fungoso, ut in CACHRY differt a FERULA, & a CACHRY seminibus non costatis, neque acuminatis.

1300. Planta haec ad genus ANGELICÆ transferatur, & erit ANGELICA *sylvestris* post numerum 1308.

1303.* SELINUM *sylvestre*. L.

Selinum radice fusiformi multiplici, stylis erectis, corollulis explicatis. LINN. *suppl.* p. 180. MURR. *syst. veg.* p. 278.

JACQ. *Fl. Austr. tab.* 152.

Loc. Ad rivulos prope *Giaveno*, & secus flumen *Sangone*;

1305.* SELINUM *Seguieri*. L.

Selinum involucro universali nullo, pistillis divaricatissimis. LINN. *suppl.* p. 179. MURR. *syst. veg.* p. 279.

JACQ. *hort. Vind. tab.* 61.

Ligusticum alpinum perenne, ferulae folio, floribus albis. SEGU. *ver. II. p.* 41. *t.* 13.

Loc. Prope *Caselette*, & *Entraque*.

1342.* OENANTHE *peucedanifolia*. POLLICH.

Oenanthe foliis omnibus linearibus, radicalibus, bipinnatis, caulinis pinnatis, involucro universali nullo, radicum napulis ovatis sessilibus. POLLICH. *Palat. I. p.* 289.

Oenanthe foliis radicalibus duplicato-pinnatis, linearibus, recurvis. HALL. *hist. I. n.* 756.

Oenanthe aquatica, tenuifolia major, bulbis radicum longissimis. MICH. *hort. flor. p.* 68.

Oenanthe Staphylini folio aliquatenus accedens. BAUH. *hist. III. p.* 191.

Loc. *Ignatius MOLINERI* frequentem vidit in pratis humectis, & spongiosis *Sabaudiae* humilioris.

OBS. Licet POLLICHIUS in definitione dixerit *involucrum nullum*, in descriptione concedit *unifolium* esse. Unum, duo aut tria sunt foliola involucris universalis, sed facile caduca.

1346. Neque infrequens est in Comitatu *Nicaeensi*.

1351.* BUPLEURUM *petraeum*. L.

Bupleurum caule nudo, foliis gramineis, involucro, & involucellis distinctis polyphyllis.

Bupleurum involucellis coadunatis, universali pentaphyllo. LINN.
spec. p. 340.

Bupleurum involucellis lanceolatis heptaphyllis; universali triphyllilo, caule bifloro. VILL. Fl. Delph. II. p. 576.

Bupleurum alpinum, foliis angustis, gramineis, sessilibus, caule fere nudo. SEGU. ver. II. p. 15.

Sedo petreo con foglia di Bupleuro. PON. Bald. p. 246.

Loc. In rupibus supra Ormea, & Limone loco dicto *Armelin*, & circa la *Madonna delle finestre*.

DESCR. Radix dura, lignosa, obscura, perennis, folia palmaria & ultra ad duas etiam lineas lata, striata, fine subaristato. Caulis teres, nudus, firmus, aliquantum tamen flexuosus, pedalis & ultra; solet ramum unum habere proprio folio instructum, ex cujus ala nascitur. Involucrum universale ex tribus, quatuor, quinque, etiam septem foliolis lanceolatis, subaristatis, inaequalibus. Radii umbellulas sustinentes a quinque ad octo, involucro duplo, & ultra longiores, valde inaequales. Involucra partialia componuntur ex foliolis a septem ad decem nervosis, ex ovato lanceolatis, evidenter aristatis. Flores viginti circiter involucellis humiliores. VILLARS, & SEQUIER involucrum universale triphyllum ajunt, sed, ut diximus, variat; involucellorum foliola distincta sunt, non coalita, recte id monente SEQUIERIO (*Veron. III. p. 225.*)

1356. Neque desideratur, imo frequentissime occurrit in Comitatu *Nicaeensi*.

1369. Provenit etiam abunde inter *Conflans*, & *Aigueblanche*.

BUBON. LINN. gen. n. 312. syst. n. 347.

Umbella magna; involucrum universale pentaphyllum partiale polyphyllum; petala oblonga; semina ovata striata villosa.

1379.* **B**UBON macedonicum. L.

D

Bubon foliolis rhombzo-ovatis crenatis, umbellis numerosissimis.

LINN. spec. p. 364.

Apium macedonicum. BAUH. pin. 154.

Petroselinum macedonicum. LOB. ic. 708.

Loc. In pascuis siccis prope *Nicaeam*.

1391. Abunde locis umbrosis, & pinguibus secus sylvas prope *Carthusias di Casotto, & Pesio*.

1396. Non modo circa *Nicaeam* oritur, sed frequens est in Comitatu *Nicaeensi*.

1399. Frequentissimum adnotavit prope *Robilant, Limone, & Entraque Ignatius MOLINERI*.

1424.* *LAVATERA punctata*. N.

Lavatera caule herbaceo; foliis subrotundis quinquangularibus, deinde hastatis; pedunculis unifloris axillaribus, floribus campanulatis.

Loc. In agro *Nicaeensi* frequens.

DESCR. Radix annua. Caulis durus, erectus, ramosus, ad unius circiter pedis altitudinem. Rubet, & minutissimis punctis albis asper est; rami, & pedunculi similiter etiam rubent, eandemque asperitudinem habent. Folia prima orbiculata sunt, crenato-dentata, quinquelobata lobis subaequalibus, quae sequuntur etiam quinqueloba, sed primis lobis minoribus medio productiore. Successive evadunt triloba, hastata, subtomentosa, atque profundius dentata. Sunt mollia, non crassa, viridia, non plicata, omnia petiolata petiolo sensim breviori. Flores axillares, solitarii, pedunculati, bractee foliorum lanceolatae integerrimae; flos dilute purpureus cum lineis saturatoribus magnitudine *MALVÆ mauritianaë*; petala vix emarginata, potius triangularia ad invicem superincumbunt, ita ut se in campanulae formam componant. Antherae albae, tubae albae, unguis petalorum etiam albescunt. Calyx duplex, exterior subtrifidus segmentis bilobis non emarginatis, sed ultra productis; calyx interior longe profundius in quinque se-

gmenta divisus segmentis lanceolatis . Calyx uterque post florescentiam connivet , atque exterioris segmenta biloba conniventia veluti cornu producunt . Semina nullo orbiculo tecta , sed facile separabilia a conniventi calyce retinentur ; ea vero sunt veluti reniformia dorso rotundato , eoque per longum sulcato , transversim striata .

1449. Suspicio varietatem esse *RANUNCULI auricomi* .

1457.* *RANUNCULUS agrarius* . N.

Ranunculus radice fibrosa annua , foliis hirsutis senitrilobis petiolatis , acute serratis , calycibus hirsutis retroflexis .

Loc. In agris collinis circa *Taurinum* , atque iis praesertim , in quibus aqua aliquandiu perstitit : etiam similibus locis in Comitatu *Nicaeensi* .

Obs. Similis omnino est *RANUNCULO bulboso* foliis , habitu , floribus , & seminibus . Paulo humilior est , sed praecipue differt radice non bulbosa , & fibrosa , annua . Floret primo vere , & julio exarescit . Etiam in fictili vase satum & cultum , neque bulbum protulit , neque diutius perduravit .

1466. Deleatur *RANUNCULUS parvulus* .

1518. Plurima est locis umbrosis humidis rupestribus supra *la Madonna delle finestre* , & *Lantosca* .

1522. *Obs.* Delata ex alpibus est singularis hujusce *SAXIFRAGÆ* varietas , in qua folia sunt magis dissita , non tuberculosa , vix apice reflexa , caulis maxime hirsutus , flores autem majores .

1524. *Obs.* In alpium saxosis quandoque aliam faciem innuit : longe humilior est foliis vix ciliatis , atque radicalibus instar *SEMPERVIVI globularis* in globum compactis .

1539. Haec est *SAXIFRAGA moschata* . *JACQ. Misc. II. p. 128.*

1550. Nascitur etiam in pascuis apricis, & alpestribus *di Tenda*, & *Madonna delle finestre*.

1550.* **DIANTHUS** deltoides. L.

Dianthus floribus solitariis: squamis calycinis lanceolatis binis, corollis crenatis. LINN. spec. p. 588.

FL. DAN. tab. 577.

Caryophyllus minor repens nostras. DILL. elth. 402.

Caryophyllus simplex supinus latifolius. BAUH. pin. 209.

Betonica coronaria, s. Caryophyllus minor, folio viridi nigricante, repens. BAUH. hist. III. p. 329.

Loc. In pratis montium *Montisregalis*.

1570. Idem eandem **SILENEM** detexit *Segusii* in pascuis saxosis secus vineas.

1579. Locis rupestribus ad fontes in alpibus *Monregalensibus* frequentem animadvertit diligentissimus, atque sagax stirpium indagator *Ignatius MOLINERI*.

1588.* **CUCUBALUS** alpestris. N. tab. 1. f. 3. A. flos, B. petalum, C. calyx, D. embrio cum tribus stylis.

Cucubalus dichotomus, foliis linearibus, calycibus peluiformibus inflatis striatis, petalis bipartitis.

Loc. In alpibus *di Mondovì*, *Tenda*, & *Entraive* e rupium fissuris prodit locis umbrosis, & saxosis.

DESCR. Radix parum fibrosa inter rupium fissuras oblique reperit perennis, atque plures caules porrigit, qui primum geniculati sunt, deinde se erigunt ad palmarem altitudinem, rotundi, glabri, simplices; tota etiam planta glaberrima est, nihil habens viscosi, aut villosi. Folia linearia, acuminata, glabra, mollia, ad duos fere pollices longa de more gentis opposita, & connata. Caulis summus praebet, per unam aut alteram dichotomiam flores singulares pedunculatos; pedunculus lateralis est brevior, non bracteatus. Calyces ovati, sive potius peluiformes sursum ampliores, inflati, glabri, striati, altera parte rubentes, ore

breviter quinquedentato, dentibus obtusis. Petala esse solent introflexa, profundissime bifida extus fusco rubentia, intus sordide alba. Styli tres. Squamae nullae coronatrices, sed eorum loco (non quidem semper) duo parvi tumores. Exhibet habito suo *SILENEM alpestrem* JACQ., sed haec & squamas habet, & petala quadrifida, calycis etiam diversitatem.

1607.* *STATICE speciosa* L.

Statice scapo dichotomo ancipiti, foliis ovatis mucronatis, floribus aggregatis. LINN. syst. 12. p. 223.

Limonium foliis lanceolatis mucronatis radicalibus, caule ancipiti dichotomo, stipulis simplicibus. HORT. Ups. 71. GMEL. sibir. II. p. 221. t. 91. f. 1.

Loc. Occurrit circa *Ventimiglia*.

1613. Etiam visa est supra *Tenda* ab Ignatio MOLINERI.

1640. Repertum est abunde nasci ubique locis summis, & alpestribus, quae pertinent ad alpes *d'Entraive, Lantosca, Tenda, & Madonna delle finestre*.

1644. Copiose nascitur circa *la Madonna delle finestre*.

Certo habet folia sinuata, non dentata, stipulas etiam integras; neque esse potest *VIOLA pumila*. VILL. Fl. Delph. II. p. 660.

1645.* Alteram habeo *VIOLÆ* speciem *caninae* proximam in monte *Cenisio* crescentem; eam tamen nondum audeo pro vera nova specie proponere, donec cultura rem confirmaverit. Placet autem differentias indicare, easque etiam deductas ex planta in horto culta. Firmiores, durasque tortuosas, minusque fibrosas radices habet, ex quibus plurima folia, pluresque breves procumbentes, dimidio breviores, cauliculi prodeunt. Ii vix se erigunt; folia in ambitu crenata, orbiculata, plerumque sine ullo acumine, substantiae firmioris; flos similis *VIOLÆ caninae*, sed major; fructus sub-

rotundus, vix trigonus, neque certo valvis carinatis, stylo vix ullo terminatis. Caeterum stipulis, & bracteis, longitudine pedunculorum, atque modo florendi conveniunt. *VIOLÆ caninae* caules licet primum procumbant, erecti sunt, altiores; folia ad pediculum multum cordata, atque in caudam acuminatam finiunt. Fructus major est valvis navicularibus, acute carinatis longiusculo hamato stylo terminatis.

1663. *CISTUS* lunulatus. N. tab. 2. f. 3. A. calyx reflexus cum staminibus, & petalo, B. calyx expansus.

Cistus extipulatus suffruticosus, floribus subumbellatis, petalis lunula crocea notatis, foliis ovalibus.

Cistus oleaefolio villosio flore aureo italicus. BARREL. ic. 365.?

Loc. Abunde in montibus supra Ormea, in jugis la Raschiera, extrema valle di Pesio, uti etiam in montibus supra Limone.

DESCR. Caules habet plurimos ad basim ramosos, tortuosos, rubentes, sublignosos, folia opposita inferius dense congesta, sed summa alterna etiam sunt. Ea lucide virent, in ambitu longis pilis evidenter ciliata, subtrus subalbicanitia, subtilissime hirsuta, foliorum forma ovali, aut elliptica, plana margine non revoluta; vetusta folia sine ciliis sunt ita ut glabra omnino videantur, Flores sunt terminales, potius umbellati, quam racemosi, tres, aut quatuor, pedunculis inaequalibus nudis innixi, flos flavus expansus, petalis obverse cordatis, non emarginatis, levissime crenulatis, & lunula crocea versus unguem notatis. Calyx reflexus ex foliolis striatis, transparentibus, ad basim subincanis, duobus de more gentis angustioribus. Calycis foliola post florescentiam connivent. Altitudo plantae digitalis.

1712. Deleatur synonymum Joh. BAUHINI, quod pertinet ad *ARENARIAM laricifoliam*.

1712.* *ARENARIA* liniflora. JACQ. *Fl. Austr.* tab. 445.

Arenaria caulibus erectis inferne ramosis suffruticosis, foliis subu-³¹
latis, floribus geminis. LINN. suppl. p. 241., MURR. syst.
veg. p. 425.

Loc. Lecta est in jugo Col de la Roue.

1713. Frequens est in summitatibus vallis di Bellino.

1715. Excludatur synonymum HALLERI.

1728. Hoc videtur CERASTIUM (trigynum) foliis lineari-ellipticis ,
hirsutis ; caule erecto , bifloro . VILL. prosp. p. 48.

1729.* Tom. II. p. 365. Passim etiam provenit in alpihus di Lan-
zo, & di Giaveno.

1784.** Tom. II. p. 365. PRUNUS brigantiaca. VILL. Fl. Delph.
I. p. 380.

Loc. Frequens in valle Queyras, & inter Oulx, & Cesane.

OBS. Differt a PRUNO domestica foliis glabris acute dentatis,
foliorum fine non rotundato, sed producto in acumen ita
ut folia ad cerasi formam accedant. Plenam descriptionem
sine dubio dabit Cl. VILLARS.

1813. Ad sepes in Sabaudia circa Camberium reperta est.

1825.* ORCHIS ensifolia. VILL.

*Orchis radicibus subrotundis, petalis reflexis, nectario labio bilo-
bo crenato, foliis ensiformibus.* VILL. Fl. Delph. II. p. 29.

Orchis morio foemina procerior, majori flore. VAILL. Bot. 150.
tab. 31. f. 33. 34.

Orchis morio foemina calcare extuberante, bifariamque diviso.
SEGU. Veron. II. p. 125. tab. 15.

Loc. In pratis subhumidis montanis.

OBS. Recte innuit VILLARS l. c. separandam esse ab ORCHI-
DE morio.

1826.* ORCHIS rubra.

Orchis bulbis indivisis, nectarium labio indiviso, crenulato integro rotundato, cornu subulato, petalis patulis. MURR. syst. veg. p. 809.

JACQ. Misc. III. Icon. rar.

Loc. Inter Caselette, & Almese ad montium radices lecta est elegans haec ORCHIDIS species ab Ignatio MOLINERI.

OBS. Dubius haereo, num haec sit varietas papilionaceae LINNAEI, hujus exemplar in agro Tunetano lectum, atque datum a praestantissimo Botanico Martino WAHLH Hafniensi Professore nostrae rubrae simile admodum est; facta accurata comparatione utriusque video caulem in rubra magis foliosum esse foliis brevioribus, & bracteas habere coloratas purpureas striatas germine longiores. Bulbi rubrae subrotundi sunt, caulis est ad summum pedalis foliis non maculatis nervosis brevibus acuminatis. Cucullus ex tribus petalis parum conniventibus, lateralibus majoribus patentibus striatis. Labium inferius magnum est ex triangulari principio in rotundam formam expansum, vix emarginatum, in margine denticulatum, lineis saturatoribus purpureis striatum; nectarium est conico-subulatum longitudine dimidii germinis.

1853.* EPIPACTIS epipogium.

Epipactis caule aphylo, flore resupinato, labello ovato lanceolato, calcare ovata turgido. HALL. hist. II. n. 1289.

Satyrium bulbis compressis dentatis, caule vaginato, corollis resupinatis, nectarium labio indiviso. LINN. spec. p. 1338.

JACQ. Fl. Austr. p. 53. t. 84.

Epipogium. GMEL. sib. I. p. 12. t. 2. f. 2.

Loc. In fagetis prope Entraque, locis umbrosis subhumidis.

1856.* EPIPACTIS lancifolia. MURR.

Serapias bulbis fibrosis, foliis ovato-lanceolatis, bracteis longitudine capsulae, floribus erectis: nectarium labio obtuso petalis brevioribus. MURR. syst. veg. p. 815.

Loc. In sylvis collium maritimorum frequens; etiam in sylvis Taurinensibus, sed rarius occurrit.

Obs. A proxima *grandiflora* recte distinxisse videtur MURRAY.
Differt floribus majoribus constanter erectis, bracteas non
superantibus : omitto foliorum formam ovatam, & ampliorem .

CORALLORHIZA. HALL. *hist.* II. p. 159.

Valde affinis *Epipactidi* antheris quaternis differt .

- 1857.* **C**ORALLORHIZA *neottia*. SCOP. *ed.* 2. n. 1184.
Corallorhiza . HALL. *hist.* II. n. 1301.
Ophrys bulbis racemosis flexuosis, caule vaginato aphylo, nectarii labio trifido . LINN. *syst.* 12. p. 592.
Orobanche radice coralloide ruberrima . MENTZ. *pug.* t. 9. f. 1.
Loc. In *Pedemontio* nondum visam stirpem legit hoc anno
Ignatius MOLINERI in *fagetis prope Entraque*.

- 1858.* **H**EMEROCALIS *flava* .
Hemerocalis foliis lineari-subulatis carinatis, corollis flavis. MURR.
syst. veg. p. 339.
JACQ. *hort. tab.* 139.
Lilio Asphodelus luteus minor . TOURN. *inst.* 334.
Lilio Asphodelus luteo flore . CLUS. *hist.* I. p. 37.
Loc. In *sylvis humidis della Veneria*, praesertim eundo ad locum
la Trapola, frequentem vidit *Ignatius MOLINERI*. Ejusdem frater
Petrus a se visam affirmat inter *Cherasco*, & *Brà* locis humidis .

- 1865.* **G**ALANTHUS *autumnalis* .
Leucojum (autumnale) spatha multiflora, stylo filiformi. LINN.
spec. p. 414.
Leucojum bulbosum autumnale . BAUH. *pin.* 56.
Leucojum bulbosum autumnale tenuifolium. CLUS. *hist.* I. p. 170.
Loc. In rupibus prope *Villafranca Nicaeensium* .
DESCR. Bulbus unicus teretes radices demittit . Folia ex radice
vaginantia , tria aut quatuor , inaequalia, quorum duo

exteriora scapi altitudinem superant semipedalia ; succulenta sunt & plana . Scapus teres spatha instructus biflorus , aut etiam triflorus . Flos nutans albus ex petalis sex lineatis aequalibus ovatis acuminatis ad basim contiguus , atque in campanae formam compositis , quatuor & ultra linearum longitudinem habentibus . Stamina petalis breviora . Antherae magnae luteae bisulcatae . Germen inferum . Capsula trilocularis semina nigra rotunda magna continet .

1868.* ALLIUM magicum .

Allium caule planifolio umbellifero , ramulo bulbifero , staminibus simplicibus . LINN. spec. p. 424.

Allium foliis caulinis lanceolatis , floribus umbellatis , ex ala bulbiferum . HALL. all. 19.

Moly latifolium liliflorum . BAUH. pin. 75.

Loc. Comitatus Nicaeensis indigena planta est .

1881. Oritur etiam , & frequens est in alpibus *Montisregalis* .

1881.* ALLIUM monspessulanum Gou.

Allium scapo tereti solido , umbella fastigiata , petalis linearibus , foliis lanceolatis , staminibus subulatis . Gou. ill. p. 24. tab. XVI.

Loc. In olivetis *Villae francae Nicaeensium* .

OBS. Simile est ALLIO multibulboso . JACQ. Fl. Austr. tab. X., sed ALLIUM monspessulanum radicem habet ex unico bulbo .

1888.* FRITILLARIA involucrata. N.

Fritillaria foliis oppositis , summis ternis .

Loc. In Comitatu Nicaeensi supra *Breglio* , supra *Tenda* , & *il Rifredo* locis saxosis , & rupestribus mare spectantibus ; oritur etiam supra *Ormea* similibus locis .

DESCR. Flos FRITILLARIAE meleagris , sed folia longiora , & angustiora , acuta , opposita , post duas aut tres conjugationes prope florem perpetuo tria folia existunt , involu- crum veluti referentia , & florem superantia . Capsula se- minum paullo profundius sulcata quam in *meleagride* , ra-

dix similis . Post duas conjugationes loco tertiae conjugationis adest interdum folium unicum .

1921. Legatur *ANEMONE vernalis* L. , & excludatur synonymon LINNÆI , quod pertinet ad varietatem B. numeri 1925. , quae pro distincta specie habetur a Cl. LINNÆO sub nomine *sulphureae* .
1928. Haec est *ANEMONE fragifera*. JACQ. *Misc. II. p. 55.* nequit esse ea *ANEMONE baldensis* , quae a LINNÆO memoratur.
1950. Etiam inter *Susa* , & *Bussolino* in *Pedemontio* provenit .
- 1969.* *SALIX* myrtilloides. L.
Salix foliis integris , glabris , ovatis , acutis. LINN. *spec. p. 1446.*
Salix foliis integris , glabris , ovatis , alternis. FL. *Lapp. 357.*
t. 8. f. F. K.
Loc. In monte Cenisio.
- 1970.* *SALIX* lanata .
Salix foliis utrinque lanatis subrotundis acutis. LINN. *Fl. Lapp.*
p. 368. t. 8. f. X. , & t. 7. f. 7. , & spec. plant. p. 1446.
Salix humilis latifolia erecta. BAUH. *pin. 474.*
Loc. Reperio inter stirpes Pedemontii indigenas sine loci natalis adnotatione .
1990. Idem observavit locis rupestribus inter *Montmeillan* , & *Chambery* .
- 2023.* *ATRIPLEX* hastata .
Atriplex caule herbaceo : calycis valvulis foemineis magnis deltoideibus sinuatis . LINN. *sys. 12. p. 673.*
Atriplex foliis triangularibus , basi producta , valvulis triangularibus subasperis. HALL. *hist. II. n. 1617.*
Atriplex sylvestris annua , folio deltoide triangulari sinuato , & mucronato hastae cuspidis simili. MORIS. *ox. II. p. 607.*
f. 5. t. 32. f. 14.

Loc. Ignatius MOLINERI in arena littoris Nicaeensis.

2052. Non erit fortasse distinguendum a *POLYGONO aviculari*, atque habendum pro varietate, licet foliis angustis, & caule erecto aliam plantam exhibeat.
2057. *Obs.* Nostram sufficienter exprimit icon *Joh. BAUHINI III.* 379. Radicem etiam habet duram, & lignosam, minorem tamen, quam in *HERNIARIA alpina VILL.*, ex qua virgae pedales nascuntur, duriusculae, & ramosae, procumbentes, & radicantes. Folia sunt ovalia; licet obscure viridia subincana tamen sunt, & pilosa: & duarum linearum longitudinem metiuntur. Flores axillares pedunculati, duo aut tres, etiam quatuor in summis ramis, qui florentes folia habent alterna. Haberi igitur nequit pro varietate *HERNIARIAE glabrae*: quae annua est, & racemos multifloros habet axillares.
2058. Haec non est lenticulata *LINN.*, sed *HERNIARIA (alpina) glomerulis hirsutis paucifloris, radice crassa sublignosa. VILL. Fl. Delph. II. p. 556.* — Huic radix est crassa, lignosa, ad plures annos perdurans, praebens cespitem cauliculorum decumbentium, qui dense ramosi sunt. Folia ex luteo virent vix lineae longitudine. Flores sunt potius cymosi. Stipulae argenteae, & satis conspicuae.
- 2067.* *CHRYSOSPLENIUM oppositifolium. L.*
Chrysosplenium foliis oppositis. LINN. spec. p. 559. ORD. Fl. Dan. t. 365.
Chrysosplenium foliis amplioribus auriculatis. TOURN. inst. 146.
Saxifraga aurea. DOD. pempt. 316.
Loc. Ad rivulos aquarum prope Carthusiam S. Hugonis in Sabaudia locis umbrosis.
2075. Passim locis paludosis alpium *Monregalensium*, similibusque locis *di Tenda*, & *Entraive*.

2087.* JUNCUS pediformis. VILL.

Juncus foliis plano-carinatis pilosis floribus oblongis in spica lobata nutantibus. VILL. *Fl. Delph. II. p. 238. tab. VI.*

Loc. Frequens est in monte *Cenisio*.

2089.* JUNCUS alpinus. VILL. *Fl. Delph. II. p. 233.*

Juncus foliis sessilibus articulatis, panicula simplici, glumis aristatis. HALL. *nomenc., & hist. II. n. 1321.*

Juncoides alpinum folio articulato. SCHEUCHZ. *agrost. 333.*

Loc. In editioribus alpium *Valdensium* minime rarus est.

Obs. Suspensus olim varietatem esse JUNCUS *aquatici* praetermisi in *Flora Pedemontana*. Ad celeberrimum HALLERUM misi siscitatus, num esset JUNCUS *n. 1321.* nullum hac super re responsum dedit: libenter amplector *Cl. VILLARS* sententiam, qui pro distincta specie habet.

2097. Passim secus vineas in agro *Segusino*.

2102. Supra *Moutiers* parvulos lacus inhabitat.

2102.* CHARA flexilis. L.

Chara caulium articulatis inermibus, diaphanis, superne latioribus.

LINN. *spec. p. 1624.*

Chara caule larvi, pellucido, flexili. HALL. *hist. III. n. 1084.*

Chara translucens major, flexilis. VAILL. *p. 18. & f. 8.*

Loc. Incolit aquas puras in valle *d'Exilles*.

2103. In aquis lente fluentibus *Tarantasiae* frequens est.

2108. Neque multum infrequens est locis inundatis secus flumina in *Pedemontio*.

2119. Occurrit etiam inter *Montmeillan*, & *Chambery* locis saxosis.

2125. Deleatur nomen LINNÆI, habeaturque sequens.

Arum foliis pedatis: foliolis lanceolatis integerrimis aequantibus spatham spadice longiorem. LINN. *spec. p. 1367.*

2133. Adjiciantur sequentia synonyma .

Phleum (*asperum*) *culmo recto, spica composita, glumis calycinis glabris asperis*. VILL. *Fl. Delph. II. p. 61.*

Phleum culmo recto, spicis cylindricis glabris, calycibus levissime mucronatis. HALL. *hist. II. n. 1531.*

Gramen typhoides asperum primum. BAUH. *theat. p. 51., SCHEUCHZ. p. 61.*

2135. Deleatur hic numerus , atque synonyma ad *alpinum* transferantur, servato loco natali hujus numeri. Illud autem quod pro *alpino* L. habueram , est *Gramen typhoides alpinum spica graciliori delicata & villosa* SCHEUCH. *p. 65.* , non distinguendum, ut puto , a *PHLEO pratensi* , cujus distincta tantum varietas mihi videtur .

2136. Legatur locis maritimis &c.

OBS. Propter glumas non truncatas, recte observante HUDSONO , ad *PHALARIDEM* spectat .

2138. Hoc est *PHLEUM* (*phalaroideum*) *culmo recto, glumis calycinis lanceolatis hirsutis, spica oblonga, utrinque attenuata pallescente*. VILL. *Fl. Delph. II. p. 60.*

Copiose autem nascitur locis aridis , & saxosis supra *Ormea* , & *S. Martin di Lantosca* , & in montibus *di Piosasco* , *Caselette* , &c.

Spica , ut recte monet VILLARS , utrinque attenuata in medio paullo obaesior . Culmi ex una radice plures duorum pedum parisiensium altitudine, non computata spica. Folia in quolibet culmo duo aut tria, erecta, duarum circiter linearum latitudine plana, longe vaginantia, vaginis striatis non asperis . Folia striata, firma, margine aspero , lente & acute acuminata . Culmi leviter striati, teretes , non asperi . Spica , quae simplex videtur, ex spiculis inaequalibus composita est . Pedunculus alios pedunculos successive profert, quorum quilibet tres aut quatuor sessiles flores sustinet . Calyx hirsutus subaristatus , corolla ex glumis albis teneris obtusis calyce minoribus . Erit igitur potius ad *PHALARIDEM* amandandum .

2155.* AGROSTIS Calamagrostis. L.

Agrostis panicula incrassata, petalo exteriore toto lanato apice aristato, culmo ramoso. LINN. syst. 12. p. 90.

Arundo locustis unifloris, ex summa gluma aristatis. HALL. hist. II. n. 1521.

Agrostis argentea. LAM. Fl. Franc. III. p. 570.

Gramen arundinaceum, panicula densa viridi-argentea splendente aristata. SCHEUCH. agrost. 146.

Loc. Provenit locis saxosis apricis, & montanis.

2156. In Comitatu Nicaeensi frequens est secus torrentes locis saxosis.

2173.* STIPA juncea. L.

Stipa aristis nudis rectis, calycibus semine longioribus, foliis intus laevibus. LINN. syst. 12. p. 98.

Festuca junceo folio. BAUH. theatr. 145., SCHEUCH. agrost. 151.

Loc. Locis saxosis calidioribus in agro Nicaeensi prope Villafranca.

OBS. Differt a *capillata* minori altitudine, vagina folii floralis ampliore & brevioris, quam sit panicula, quum in *capillata* paniculam superet. Tres distinctas paniculas praeberet solet ex vagina folii floralis. Aristae in *capillata* longiores sunt, flexuosae, atque etiam apice reflexae, quae in *juncea* rectae sunt. Semen in *juncea* vix duarum linearum longitudinem habet cum arista duos pollices longa, atque glabrum est. STIPÆ *capillatae* semen quinque linearum longitudinem habet, atque ejus flexuosa arista extensa quinque & ultra pollicum est.

2173.** STIPA aristella. L. tab. 2. f. 4. A. calyx floris, B. corolla cum gluma aristata, C. semen.

Stipa aristis rectis nudis, calyce duplo longioribus, germinibus lanatis. GOV. ill. p. 4.

Stipa aristis nudis rectis calyce vix duplo longioribus. LINN. syst. 12. p. 229.

Loc. Frequenter occurrit locis rupestribus, & calidioribus Comitatus Nicaeensis; abunde circa Villafranca.

Obs. Paniculam habet gracilem terminalem non proveniente ex vagina folii floralis. Folia caulina sunt vix convoluta, potius plana, radicalibus evidentius convolutis; altitudo plantae est trium pedum parisiensium. Pedunculi primi solent esse biflori aut triflori, atque habent etiam aliquando florem sessilem ad ortum pedunculorum; reliqui uniflori sunt, atque licet distantes, tamen imbricati.

2187.* AIRA valesiana. N.

Festuca locustis bifloris, spicatis, calycibus glabris, floribus villosis. HALL. *hist. II. n. 1445.*

Gramen Valesianum tenuifolium, panicula spicata, viridi argentea, splendente. SCHEUCHZ. *p. 169.*

Loc. Arida montana loca, praesertim collina inhabitat.

2188. AIRA *cristata* transferatur sub genere FESTUCÆ post numerum 2249.

2207.* POA sylvatica. VILL.

Poa foliis planis obtusis, culmo obliquo compresso, paniculae diffusae spiculis ovatis subquinquefloris laevibus. VILL. *Fl. Delph. II. p. 128. tab. III.*

Loc. Frequens est in pascuis secus sylvas, locis subalpinis, & montanis.

2208. Haec est *disticha*, JACQ. *Misc. II. p. 74.*, antherae in viva planta observatae albae sunt, non nigrae, sicuti mihi apparuerunt in siccato specimine: caeterum frequentissime occurrit in montibus *di Giaveno* eundo ad jugum *Col della Rossa*.

2209.* POA cenisia. N.

Poa culmo inferius compresso, pedunculis geminatis, locustis septemfloris, corollis villosis.

Loc. Secus torrentes sabulosos exsiccatos in monte *Cenisio*.

DESCR. Tota glabra, culmo compresso, sed tantum inferius.

Altitudo pedis unius cum dimidio. Culmus geniculatus; folia culmum involventia, qua parte a culmo discedunt,

foliumque extendunt sat longam membranam erectam culmo appressam erigunt. Folia mollia ex lineari lanceolata, paullo ultra lineam lata, in superiori pagina digito retrorsum ducto asperiuscula, erecto-patentia. Panicula terminalis duarum unciarum circiter, pedunculis verticillatim nascentibus; pedunculus unus ferens locustam, & alter pedunculus binas sustinet, quarum una sessilis est, in suprema panicula pedunculi binati unam locustam ferunt. Locusta duarum linearum longitudine. Calyx ex duabus glumis concavis acuminatis, ad dimidia locustae longitudinem. Corolla ad basim suam, atque usque ad medium longa lanugine villosa est. Glumae florales membranaceae albae acuminatae. Locusta septemflora.

Locustae in *POA compressa* sunt dimidio circiter minores, calyce vix ultra primum florem producto. Flores ita nascuntur, ut ex uno puncto tres pedunculi proveniant, unus brevissimus biflorus, duo alii inaequales multiflori; longior sex locustas fert. Locustae nutant. Corolla glabra est. Culmus totus compressus. Radice repente stolonifera ambae conveniunt, sed membranula alba, ubi folium ex caule secedit, multo brevior est in *compressa*.

Nequit esse *brizoides*. VILL. *Fl. Delph. II. p. 126.* locusta septemflora, quae quadriflora est in *brizoides*, & corolla pilosa, quam notam certe VILLARS non praetermisisset.

2211. Non infrequens est in pascuis & locis conculcatis circa *Taurinum*.

2213. Nascitur etiam secus lacum *di Caselette*.

2215. Frequens est secus arva locis calidioribus agri *Pedemontani*, *Canapiciensis*, & *Nicaeensis*.

2223. Lege.

Loc. Secus rivulos, & etiam ad oras pratorum frequens locis umbrosis saxosis montanis & collinis.

2233. Frequentissimus est in collibus calidioribus & saxosis Comitatus *Nicaeensis*. F

2234. Nomen HALLERI deletur, quod bene observante Cl. VILLARS pertinere videtur ad *BROMUM dumosum*.

2234.* *BROMUS dumosus*. VILL.

Bromus spica nutante, spiculis ovato-oblongis subhirsutis, & aristatis. VILL. *Fl. Delph. II. p. 119.*

Triticum spicis distinctis locustis teretibus hirsutis aristatis duodecimfloris. HALL. *hist. II. n. 1431.*

Gramen loliaceum corniculatum spicis villosis. TOURN. *inst. p. 516.*

Festuca dumetorum. BAUH. *theatr. 148.*

Loc. Frequens est praesertim in dumetis, sive in planitie, sive in locis montanis & collinis.

2235. Nomen triviale *ramosi* deletum recte fuit, legatur igitur *BROMUS asper*. MURR. *syst. veg. p. 119.*

2240.* *FESTUCA heterophylla*. VILL.

Festuca foliis radicalibus setaceis, caulinis planis, panicula erecta, glumis subhirsutis margine scariosis subaristatis. VILL. *Fl. Delph. II. p. 100.*

Festuca foliis radicalibus setaceis, caulinis latioribus, locusta septiflora. HALL. *hist. II. n. 1438.*

Loc. Locis montanis saxosis montium di Tenda, & Mondovè.

2249.* *FESTUCA phleoides*. VILL.

Festuca panicula spicata, calycibus subtrifloris dorso ciliatis, corollis sub apice aristatis. VILL. *Fl. Delph. II. tab. 2. n. 7.*

Poa panicula spicata, spiculis compressis villosis subaristatis. GER. *galloprov. p. 92. n. 13.*

Gramen thyphoides molle. SCHEUCHZ. *agrost. p. 146. tab. 5. f. 5.*

Loc. Nascitur in pascuis declivibus siccis agri Pedemontani.

OBS. Calyx triflorus acutus ex glumis glabris valde inaequalibus; glumae corollae dorso ciliatae, apice leviter aristatae. Antherae parvae pallidae.

Avena foliis hirsutis, panicula stricta, locustis trifloris gluma interiori bifida, arista exteriori floris longitudine. HALL. *app. II. n. 53.* alia omnino planta esse videtur glumarum folliculi fabrica.

2249.** FESTUCA altissima. N.

Festuca foliis planis trilinearibus, albo nervo divisis; panicula contracta, pedunculis communibus geminatis, locustis trifloris.

Loc. Locis lapidosis & umbrōsis prope thermas *Valderii*, & in valle *d'Entraque* prope sacellum *S. Johannis*.

DESCR. Radix biennis & ultra, radicis primarius truncus plures teretes fibras demittit: ex summa radice plures culmi teretes prodeunt ad quinque & ultra pedum altitudinem, eos vestiunt undique vaginae foliorum usque ad postremum folium, hae asperae sunt, atque asperitudine sua superant foliorum superficiem, & ambitum. Culmus vaginae denudatus, laevis, & striatus est; quatuor circiter folia in unoquoque culmo esse solent, sed praeter haec ad culmi basim duo folia adsunt erecta multum reliquis breviora. Folia caulina recta ex vagina discedunt, fere horizontalia, trium linearum & ultra latitudine, subtus nervo albo divisa, plana, in aristam denique acuminata. Ad latera culmorum solet oriri fasciculus foliorum altero anno novam plantam daturus, quae pedalis & ultra altitudinis sunt. Culmi sunt simplices, & ferunt paniculam non patentem, sed collectam, pedunculis erectis: pro plantae altitudine brevis panicula est, quae scilicet quatuor uncias fere non superet. Pedunculi primi, & secundarii geminati nascuntur, secundi pedunculi alternatim proferunt locustas tres aut quatuor, quarum prima pedunculata est aliis sessilibus, hae locustae interdum biflorae, saepius triflorae glabrae acuminatae, calyx flore brevior, & angustior ex glumis angustis acuminatis persistentibus, altera gluma multum brevior: corolla florum ex glumis aequalibus glabris, exteriori subaristata, facile caduci. Semen gracile.

Est ne FESTUCA *sylvatica*. VILL. *Fl. Delph. II. p. 105.*?

2250.* MELICA Bauhini. N.

Melica spica ramosa unilateralis, fertilis floris petalo subciliato. Gramen avenaceum lanuginosum, spicis rarioribus. BAUH. *theatr. p. 157.*

Loc. Provenit locis rupestribus aridis in Comitatu *Nicaeensi*.
DESCR. Culmus rotundus simplex glaber, usque ad medium foliis tectus, quae sunt linearia acuta, per aetatem convoluta, subtus striata, aspera maxime in parte vaginante. Tota spica florifera superat folia, inferius evidenter ramosa ramis & pedicellis unilateralibus. Pedunculi duas aut tres locustas ferunt; locustae biflorae sunt. Calyx glaber, biglumis albis medio tantillum rubentibus, brevissime aristatis. Glumae corollinae in sterili glabrae, in fertili raro villo barbatae. Semen est acutum, obscurum, corolla involutum. Omnino videtur differre a *MELICA villosa* spica evidenter ramosa unilaterali, atque locustis multo minus dense positis, & longe rariori villo barbatis. Habuit pro varietate *Cl.* HALLER.

2251.* *MELICA* Lobelii. VILL.

Melica panicula ramosa, foliorum vagina acuminata oppositifolia, radice repente. VILL. *Fl. Delph. II. p. 89.*

Gramen avenaceum rariore grano nemorensis danicum. BAUH. *hist. II. p. 434.*, LOB. *adv. app. alt. 465.*

Gramen avenaceum locustis rarioribus. BAUH. *pin. 10. theat. 155. Loc.* In sylvis collium *Taurinensium*.

OBS. Puto etiam cum *Cl.* VILLARS a *MELICA nutante* esse distinguendam non modo panicula ramosa, sed aristae productione, quam vagina foliorum facit.

2254.* *AVENA* disticophylla. L.

Avena culmis basi ramosis, foliis fasciculatis distyche patentibus paniculae spiculis binatis trifloris. VILL. *Fl. Delph. II. p. 144.*

Avena diantha, foliis planis patulis, petiolis floralibus villosis. HALL. *hist. II. n. 1489.*

Loc. Locis rupestribus, & montanis alpium *Valdensium* minime rara est.

2255. *Lege.* Frequentissima est secus agros, & in pascuis collium calidiorum *Nicaeensium*.

2255.* *AVENA* sterilis. L.

Avena paniculata, calycibus quinquefloris: exterioribus flosculis
aristisque basi pilosis; interioribus muticis. LINN. syst. 12.
p. 99.

Gramen avenaceum maximum, utriculis cum lanugine alba, &
longissimis aristis. MAGN. Monsp. pag. 121.

Loc. Nascitur in agris collinis calidioribus agri Pedemontani.

OBS. A superiori non modo differt magnitudine. & numero
florum &c., sed & seminibus non facile caducis.

2255.** AVENA fertilis. N.

Avena panicula patente, locustis sessilibus, trifloris, fertilibus, flo-
ribus duobus aristatis.

Loc. In agris avenae *Montisregalis* invenit Ignatius MOLINERI.

DESCR. Radix fibrosa capillaris, annua. Culmi plures erecti
cubitales. Folia mollia, nihil aspera, erecta, trium &
quatuor unciarum longitudine panicula per aetatem paten-
tissima. Pedunculi verticillatim nascuntur quatuor aut quin-
que, hi primi pedunculi deinde novos pedunculos profe-
runt, qui tres aut quatuor sibi succedentes subsessiles lo-
custas porrigunt; pedunculi secundi triflori, ultimi biflori
aut uniflori. Flos ultimus pedunculum terminat. Calyx ex
duabus glumis inaequalibus subaristatis. Triflorus est flo-
ribus omnibus fertilibus, uno tantum subaristato, eo nem-
pe, qui glumae minori calycis assidet, aliis duobus ex
medio dorso aristatis arista longa & tortili.

2258.* AVENA sempervirens. VILL.

Avena paniculata, calycibus trifloris hermaphroditis basi lanatis,
foliis rigidis acutis involutis sempervirentibus. VILL. Fl.
Delph. II. p. 140.

Loc. Abunde in montibus di *Carlin*, *la Briga*, proximisque;
amat autem loca maxime soli exposita. Provenit etiam in
monte *Cenisio* supra *le Ferrere*, & in monte *la Vanoise*.

2259.* AVENA spicata. L.

Avena calycibus sexfloris longioribus: petalo exteriori apice ari-
stato furcatoque. LINN. syst. 12. p. 99.

Avena (calycina) foliis planis basi pilosis, panicula simplici,

spiculis quinquefloris longitudine calycis. VILL. *Fl. Delph.* II. p. 148. *tab. II. n. 9.*

Loc. Abunde omnino in universa valle *de la Tour*, atque ultra eam eundo ad jugum *Col di San Giovanni*, tum etiam in montibus *di Piosasco*, *Caselette*, *Cumiana*, & sylvis *della Veneria*.

2259.** AVENA bromoides. L.

Avena subspicata: *spiculis binatis*: *altera pedunculata*, *aristis divaricatis*, *calycibus octofloris.* (Gou. *ill. p. 52.*) LINN. *spec. p. 1666.*

Loc. In pascuis saxosis inter *il Rifredo*, & *Val di Pesio*. Frequens in summitatibus alpium *Monregalensium* soli expositis, atque in Comitatu *Nicaensi*. Paniculata evadit in pascuis saxosis calidiorum collium, & montium.

2265. Vulgaris est in locis montanis, & saxosis.

2270.* TRITICUM biunciale. VILL.

Triticum spicis basi ramosis, *spiculis compressis acuminatis subquadrifloris.* VILL. *Fl. Delph. II. p. 167.*

Gramen pumilum loliaceo simile. RAJ. *Syn. ed. 3. p. 395.* SCHEUCHZ. *agrost. p. 272. tab. 6. f. 3.*

Loc. Rarum non est locis declivibus siccis.

OBS. Recte vidit VILLARS ab affinibus esse distinguendam hac plantam, quae apud nos saepe majorem altitudinem assequitur.

2276. Circa *Carthusiam di Pesio* locis sylvosis *Ignatius MOLINERI.*

2279. Locis potissimum mari proximis.

2285.* HOLCUS arenarius. N.

Holcus spica conica tomentosa lucida glumis bifloris; *hermaphrodito sessili*, *masculo pedunculato.*

Loc. In arena ad maris *Nicaensis* litus.

DESCR. Radix annua ex tenuissimis fibris; ex ea numerosi caules prodeunt, viginti & ultra, primum saepe geniculati &

deflexi, deinde erecti: hi autem modo simplices sunt, modo ad basim ramosi. Culmos vestiunt duo aut tria folia ex vagina nata, ea unciae unius cum semisse longitudinem habent. Vaginae & folia striata sunt, levissime subtomentosa. Ultimi folii vagina paullo ventricosior est, sed non spathiformis. Culmus solet esse palmaris altitudinis, ad duas tertias nudus. Spica conico-cylindrica terminalis densa, pollicis parisiensis longitudine: pedunculus brevissimus duas aut tres locustas sustinet, quae sessiles sunt & biflorae. Corolla tum masculi, tum hermaphroditi transparentis est, sed hermaphroditi in dorso subviridis est, atque major. Musculus glumam habet corollinam aristatam. Calyx corollae aequalis est dorso ciliatus. Antherae sunt magnae, extra florem productae. Post florescentiam masculus exarescit, & hermaphroditus semen praebet oblongum aliquantum compressum.

Valde accedit ad *PHLEUM arenarium*, sed differt fabrica floris, spica obaesa, & glumis minus acutis.

2287. Provenit autem praesertim secus agros inter *Sospello*, & *Castiglione*.
2292. Incolit prata montana *di Rifredo*, qua ex *Tenda* itur in vallem *di Pesio* ad fontium frigidorum scaturigines.
2293. *Ignatius MOLINERI* frequentem reperit locis alpestribus, solique patentibus alpium *Monregalensium* versus *Carlin*.
2295. Incolit generatim alpium frigidiorum pascua.
2305. Sat frequens est ubique in agro *Pedemontano* ad sepes, & locis montanis, & secus prata non tamen irrigua.
2308. *Ignatius MOLINERI* in pratis spongiosis alpium *di Casotto*.
- 2308.* *CAREX* canescens. L.
Carex spiculis subrotundis remotis sessilibus obtusis androgynis, capsulis ovatis obtusiusculis. LINN. spec. p. 1383.
 OED. Fl. Dan. tab. 285.

Carex spicis ovatis alternis, supremis se contingentibus. HALL.
hist. n. 1360.

Loc. In pratis spongiosis supra *Casotto*.

2316. Deleatur synonymum MICHELII, quod vere pertinet ad *mucronatam*. In *montana* enim folia non sunt capillacea, spiculae etiam obaesiores.

2329. Haec est CAREX *gynobasis*. VILL. *Fl. Delph. II. p. 206.*
 Identidem occurrit ad semitas locis potius siccis, collinis, & montanis.

Obs. Culmum habet debilem. Spica foemina mari approximata sessilis, quam bractea excipit. Foeminae radicalis brevis spica est ex quatuor aut quinque capsulis.

2332. Minime rara est in pascuis saxosis, & montanis.

2338. Saepe obviam venit secus lacus, & loca olim inundata, tum etiam humentia, *montana*, & *submontana*.

2355.* CYPERUS *distachyos*. N. *tab. 2. f. 5.*

Cyperus culmo triquetro nudo, spicis sessilibus lateralibus, radice perenni.

Loc. Locis paludosis inter *Nicaeam*, & flumen *le Var*.

DESCR. Radix perennis, repens, stolonifera, fusca, fibras demittens, & caespites faciens; culmus triangularis erectus palmaris, qui in acutum non pungentem mucronem facessit, solet autem ex radice prodire culmus, & folium lineari petiolo membranaceo albo culmo adhaerens, & vagina ex radice prodiens culmum, & petiolum folii complectitur, usque dum folium a culmo secedat, quod viride est subtriangulare acutum, culmo longe brevius. Duarum circiter ab extremo culmo unciarum distantia sedent binae quandoque tres, spiculae compressae, distichae, lanceolatae, compositae ex glumis circiter utrinque duodecim, imbricatis & carinatis, quae fuscae sunt, dorso & margine vi-
 rentibus. Interdum quod rarum est una solum spicula sedet; sed eadem planta in horto culta etiam quatuor habuit.

2358.* CYPERUS globosus. N.

Cyperus radice perenni, caespitosus, planifolius, culmo triquetro, foliis brevioribus, capitulo globoso terminali, involucri, tetraphyllo.

Loc. In pratis spongiosis secus le *Var.*

DESCR. Tria aut quatuor successive nascentia culmum vestiunt folia erecta inferius vaginantia, quorum superius totum culmum longe superat, ea sunt linearia, firma, in ambitu leviter subaspera. Culmus triqueter, rigidus, capitulum terminale ex numerosis locustis in orbem positis; eae sunt compressae lanceolatae, glumae sunt carinatae, acutae, dorso carinae, & margine glumarum albescentibus, lateribus veluti macula fusca tinctis. Semina gracilia neque cogunt glumas hiare; in *CYPERO glabro* ex capitulo unus utrinque ramus saepe demittitur; in hoc, quando adsunt, (quod rarum est) supra umbellam ascendunt. Involucrum universale ex quatuor foliis rigidis inaequalibus, quorum longissimum culmi altitudinem metitur. Differt a *CYPERO glabro* majori rigiditate, capitulo prorsus globoso, spiculis quae complanatae persistunt, seminibus gracilibus, & numero flosculorum quindecim utrinque in unaquaque spicula, cum *CYPERUS glaber* flosculos utrinque decem habeat, atque semina globoso-triquetra magna cum evidenti stylo superstitite glumas superantia, atque insuper glumas habeat margine virides, lateribus fere totis fuscis.

2379. Similiter adinvenitur in pratis paludosis spongiosis secus l'*El-lero* in valle dicta di *Blin.*

2404.* POLYPODIUM limbospermum. N.

Polypodium fronde pinnata, pinnis ad nervum pinnatifidis, pinnulis lanceolatis integris, fructibus marginalibus.

Loc. In montibus *Javenensibus* legit, & communicavit *Clar.*

ISTRIA Medicinae Doctor, & Botanices cultor. Habet inter suas, atque in horto proprio colit *Cl. BELLARDI* aliam ex alpibus *Monregalensibus*.

OBS. Faciem habet *Filicis maris*; tota glabra est petiolo profunde sulcato. Folium in universum elliptico-lanceolatum est sesquicubitale; pinnae oppositae sunt, sessiles, vi-

ginti circiter , ad nervum pinnatifidæ pinnulis etiam viginti & ultra , in majoribus pinnis subfalcato-triangularibus integerrimæ , acutæ , fere transparentes in sicca planta . Utrinque prope marginem pinnularum orbiculi seminales a sex ad octo nulli indisco .

Dixissem *POLYPODIUM marginale* , nisi celeberrimus LINNÆUS jam nomen hoc alteri *POLYPODIO* assignasset .

2530.* *JUNGERMANNIA* epiphylla. L.

Jungermannia acaulis , foliolo frondi innato. LINN. spec. p. 1602.

Jungermannia fronde foliacea , obtuse lobata ex medio florifera .

HALL. hist. III. n. 1883.

Marsilea major atrovirens , floribus albicantibus e foliorum medio egredientibus . MICH. gen. p. 5. t. 4. f. 1.

Lichenastrum capitulis rotundis e foliorum medio enascentibus .

DILL. musc. p. 508. t. 74. f. 41.

Loc. In sylvis subhumidis collium *Taurinensium* primo vere provenit .

2532.* *RICCIA* glauca. L.

Riccia frondibus glabris canaliculatis bilobis obtusis . LINN. spec. p. 1605.

Riccia fronde sulco divisa , lobis bifurcatis , lobulis lanceolatis obtusis . HALL. hist. III. n. 1897.

Riccia minima pinguis , foliis latiusculis ample sulcatis e glauco virescentibus . MICH. gen. p. 107. t. 57. f. 4.

Lichen minimus , foliis venosis bifariam vel trifariam se dividendo progredientibus . DILL. musc. p. 533. t. 78. f. 10.

Loc. Ignatius MOLINERI adnotavit secus fossas in proximis collibus *Taurinensibus* .

2536.* *LICHEN* byssoides. L.

Lichen leproso farinaceus , peltis stipitatis subglobosis. LINN. mant. p. 133. , MURR. syst. veg. p. 957.

Coralloides fungiforme ex ungula equina , livide rubescens. DILL. musc. p. 78. tab. 14. f. 5.

Loc. In sterilibus apricis collium *Taurinensium* nasci adnotavit Ignatius MOLINERI.

2538.* LICHEN calcarius. L.

Lichen leprosus candidus tuberculis atris. LINN. spec. p. 1607.

Lichenoides tartareum tinctorium candidum, tuberculis atris. DILL. musc. p. 128. tab. 18. f. 8.

Loc. Saxis adhaeret locis praesertim collinis umbrosis.

2566.* LICHEN fascicularis. L.

Lichen foliaceus gelatinosus, tuberculis turbinatis fasciculatis fronde majoribus. LINN. mant p. 133.

Lichenoides gelatinosum palmatum, tuberculis conglomeratis. DILL. musc. p. 141. tab. 19. f. 27.

Loc. Lectus etiam est in montibus supra Giaveno ab Ignatio MOLINERI.

2567.* LICHEN venosus. L.

Lichen coriaceus repens ovatus planus subtus venosus villosus, peltis marginalibus horizontalibus. LINN. syst. 12. p. 711.

Lichen flabelliformis subtus reticulatus, scutellis marginalibus planis. HALL. hist. III. n. 1993.

Lichenoides parvum virescens, peltis nigricantibus planis. DILL. musc. p. 208. tab. 28. f. 109.

Loc. Prope S. Remy in Sabaudia sylvas inhabitat observante Ignatio MOLINERI.

2570.* LICHEN velleus. L.

Lichen umbilicatus: subtus hirsutissimus. LINN. syst. 12. p. 712.

Lichenoides coriaceum, latissimo folio umbilicato, & verrucoso. DILL. musc. p. 545. tab. 8. f. 5.

Loc. In montibus supra Giaveno Ignatius MOLINERI.

2573.* LICHEN polyphyllus. L.

Lichen umbilicatus polyphyllus undique laevis atrovirens crenatus. LINN. syst. 12. p. 712.

Lichenoides tenue pullum, foliis utrinque glabris. DILL. musc. p. 226. tab. 30. f. 130.

Loc. Lapidibus adhaerens lectus est prope la Madonna delle finestre ab Ignatio MOLINERI.

2575.* LICHEN cornucopioides. L.

Lichen scyphifer simplex folio brevior, tuberculis coccineis. LINN. spec. p. 1619.

Coralloides scyphiforme; marginibus radiatis & foliatis. DILL. musc. p. 85. tab. 14. f. 9.

Loc. In sylvis prope thermas *Valderii* locis umbrosis & rupetribus.

2575.** LICHEN diffusus. LAM.

Lichen infundibulis explanatis fungiferis. HALL. hist. III. n. 1934.

Coralloides scyphiforme, foliis alccicorniformibus cartilaginosis. DILL. p. 87. tab. 14. f. 12.

Lichen pyxidatus endiviae crispae folio, prolifer acetabulorum oris crispis. VAILL. tab. 21. f. 3.

Loc. In pascuis sterilibus & dumetis Comitatus *Nicaeensis*.

2588.* LICHEN tristis. L.

Lichen fruticulosus solidus, ramulis compressis ramosis, apicibus nigricantibus, scutellis terminalibus. L. MURR. syst. veg. p. 963.

Lichen tristis. WEB. spicil. p. 209.

Lichen fruticosus, durus, niger, repetito dichotomus. HALL. hist. III. n. 1966. tab. 47. f. 1.

Loc. Rupes inhabitat, locis editis & vento perflatis, prope *la Madonna delle finestre*.

2653.* CONFERVA sericea. HUDS.

Conferva filamentis geniculatis ramosis, ramis fasciculatis confertis viridibus. HUDS. p. 485. n. 30.

Conferva trichodes virgata sericea. DILL. musc. p. 31. tab. 5. f. 33.

Loc. Secus rivulos aquarum, & canales molendinorum detexit *Ignatius MOLINERI*.

2658.* BYSSUS phosphorea. L.

Byssus lanuginosa violacea lignis adnascens. DILL. musc. p. 4. tab. 1. f. 6.

Loc. Frequens in corticibus lignorum putrescentium.

2660.* BYSSUS antiquitatis. L.

Byssus pulverulenta atra. LINN. spec. p. 1638.

Byssus petraea nigerrima fibrosa. DILL. musc. p. 9. tab. 1. f. 18.

Loc. Innascitur frequens lapidibus septentrioni expositis.

2662.* BYSSUS candida. HUDS.

Byssus filamentis ramosissimis ramis fasciculatis albidis. HUDS.
p. 488. n. 8.

Byssus tenerrime villosa, & elegantissime ramulosa. DILL. p. 7. tab.
1. f. 15.

Loc. Ligno insidet locis humidis, neque aëre ventillatis.

2670.* AGARICUS rotula. SCOP. n. 1569.

Fungus fimetarius, parvus, cespitosus, fugax; subtus lamellis raris, ad tubum quemdam coëuntibus, eidemque junctis; cui inseritur pediculus albus. MICH. gen. plant. p. 195. tab.
79. f. 7.

Loc. Ulmi corticibus innascens autumnò lectus est.



IMPRIMATUR

Fr. VINC. MARIA CARRAS Ord. Praed. S. Th. M.
Vic. Gen. S. Off. Taur.

V. AVERARDI Pr. & Regens.

V. Se ne permette la stampa

DI FERRERE per la Gran Cancelleria.







Cyperus distachyos
p. 28



F. 1



F. 3



F. 4



23. *Stagnum* L.



